
P. J. Resen.

Uranologia sacra.

Ev. Joh. cap. III. v. 1–16.

Hafn., 1645.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

1,-240.
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01345 X
+REX
BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

URANOLOGIA
SACRA,

Seu

DISSERTATIO THEOLOGICA,

Ex Cap. III. Euangelij Johannis à v. 1. ad v. 16.

De Colloqvio diviniſsimo,

qvod habuit Chriſtus cum Nicodemo,
de REGENERATIONE,

Qvam

D. O. M. A.

In Regiâ Academiâ Hafnienſi, ad diem
xvi Jul.
[redacted]. [redacted]. loco & horis conſvetis,

PRÆSIDE

JOHANNE JOHANNIS
RESENIO, S.S. Theolog. D. &

Profeſſore ordinario,
Pro Regio ſtipendio obtinendo
publicè defendendam
ſuſcipiet

M. JOHANNES JOANNIS Viburg.

1114

HAFNIÆ,

Literis VIDUÆ SALOMONIS SARTORII,
Anno cIↃ IↃc xxxxv.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

In Nomine Jesu Christi.

Thesis I.

THEOLOGUS ET CONSUMMATOR Euangelicæ noſtræ Hiſtoriæ JOHANNES, Prooemio ſuo diviniſſimo, de Perſonâ æternâ JESU CHRISTI *θεανθρώπȣ*, cum illis, qvæ præceſſerunt acta publica officii talis Meſſiæ, qvod Euangelii ſui capite primo abſolvit, ex qvo etiam hactenus fuerunt nobis tres ordine Diſputationes ordinariæ, pro inſtituti noſtri ratione, ſubjungit *τὰ πράγματα*, tanti Domini & Salvatoris noſtri, in officio inter Iſraëlitas publico; & qvidem primò, in ſtatu *ἐλαττώσεως κατὰ κένωσιν* Prophetico, tùm inchoato Anno primo & ſecundo, tûm completo anno tertio.

II. Ad acta Anni primi, qvæ ſolus noſter Euangeliſta, tanqvam à reliqvis præterita, literis conſignavit, pertinent illa, qvæ narrantur Cap. II. & III. ad v. 43. Cap. IV. Qvorum qvædam contigerunt Johanne adhuc libero, qvædam eodem poſt captivo.

III. Johanne Baptiſta libero qvæ facta memorantur, peracta ſunt Chriſto verſante vel in Galilæa, ante Paſcha primum, qvò pertinet converſio aqvæ communis in vinum generoſiſſimum, in nuptiis in Cana, ad manifeſtationem gloriæ Chriſti, à v. 1. ad v. 12. Cap. II. vel in Judæa; idq; tum ad meſſem, in Paſchate primo, ad qvod proficiſcebatur Capernaumo Hieruſolymam, ejiciens ibi ementes & vendentes è templo. Ubi multi, propter varia ibidem edita miracula, crediderunt in eum; qvibus tamen ipſe ſe non credidit à v. 12. Cap. II. ad finem. Et poſt in Pentecoſte, qvando ſublime, & myſteriis divinis refertum habuit

colloqvium cum Nicodemo, de Regeneratione, cum ἐξηγήσει ejuſdem diviniſſimâ à v. 1. Cap. III. ad v. 22. Tum à Meſſe; tam in terra Judæa, Diſcipulis Chriſti ac Johannis unà baptizantibus, uſq; ad invidiam horum à v. 22. ad v. 25. Cap. III. qvàm Hieruſolymis, exortâ ibi inde Controverſiâ de Purificatione, cum Teſtimonio ultimo illuſtri Johannis Baptiſtæ de Jeſu Chriſto, ſupra ſe & omnes, à v. 25. ad finem Cap. III.

IV. Captivo verò Johanne rediit Chriſtus in Galilæam, per Samariam, pro Gentibus etiam vocandis ad regnum Dei, habito ſtatim colloqvio primo cum muliere Samaritanâ, de ſe aqva vivâ, ab initio cap. IV, ad v. 26, & deinde cum Diſcipulis & Civibus in Sichem à v. 26. ad 42.

V. Atq; hæc eſt brevis ſumma actorum anni primi Meſſiæ noſtri in officio ejus publico, eoq; Prophetico, prout illa in literas relata nobis reliqvit Euangeliſta noſter. Ex qvibus nos, pro inſtituti noſtri ratione, præſentis Diſputationis ordinariæ Thema ſelegimus ſublime illud ac myſteriis divinis refertiſſimum Colloqvium, qvod Chriſtus habuit cum Nicodemo, deſcriptum Cap. III. à v. 1. ad 16.

VI. Et qvum in præſente themate regni Dei v. 4. & 5. qvod aliàs paſſim ab Euangeliſta Matthæo vocatur regnum cœlorum, Matt. 3, 2. & 5, 3. & 7, 21. & 8, 11. & 11, 12. & 13, 24. 31. 33. 43, 44, 47, 52. & 16, 19. & 18, 3. 23. & 19, 12. 14. 20. 23. 24. ſicut & cœleſtium, oppoſitorum terrenis v. 12, ac imprimis deſcenſus de cœlo, & aſſcenſus in cœlum, continuæq; exiſtentiæ filii hominis in cœlo, fiat mentio; hinc ſumptâ occaſione hanc Diſputationem *Uranologiam Sacram* inſcribere placuit; qvam dum ex verbo DEI paucis contemplamur, ac expendimus, illuminet nos cœleſtis Pater Spiritu ſuo cœleſti, illumq; abundè ad hoc effundat ſuper nos, per & propter hunc eundem, qvi deſcendit de cœlo, & aſcendit in cœlum, & tamen perpetuò manſit in cœlo, hoc eſt, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

VII. Dixerat Euangeliſta ſub finem Capitis ſecundi, multos, ex conſpectis à Chriſto factis miraculis, crediddiſſe in Chriſtum. Ex illis vero multis unum tanqvam perfectiorem cœteris heic

addu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

adducit, qvi diſcendi ſtudio Chriſtum adit, & cum eo colloqvium inſtituit pro confirmatione fidei qvalis qvalis ſemel conceptæ.

IIX. Prolixa autem hujus colloqvii deſcriptio in duo capita præcipua diſtingvi poteſt non inconvenienter; qvorum unum eſt velut præliminaris deſcriptio Perſonę colloqvium inſtituentis cum Chriſto: alterum verò ipſum colloqvium conſtituit.

IX. Perſona cum Chriſto colloqvens deſcribitur à nomine proprio, ſectâ & publico munere hiſce verbis:

v. 1. Ἦν δε ἄνθρωπ⊕ ἐκ τῶν Φαρισαίων [Νικόδημ⊕ ὄνομα αὐτῷ] ἄρχων τῶν Ιȣδαίων.

X. In hâc deſcriptione vocem ἄνθρωπ⊕ accipiunt qvam plurimi ex Hebræorum more pro qvodam ſeu aliqvo; ſicut etiam pro Relativo ille Matth, 26. v. 72. occurrit. Qvanqvam non deſint, qvi contendunt hac appellatione indigitari Nicodemum hunc hominis nomine præ cœteris credentibus magis dignum fuiſſe, utpote qvi non modo ſenſibus, ſed & ratione utebatur, humana interim, ceu nondum regenitus, tantum ſapiens, non verò percipiens illa qvæ ſpiritus erant; qvam etiam ſuam inſcitiam per univerſum prodit colloqvium.

XI. Hujus hominis nomen proprium, non ſine laude & omine, expreſsè heic, perinde ut infra Cap. 7. v. 50. & 19. v. 39. ponitur, dum vocatur Nicodemus, qvod Græcam potius ſpirat originem, etiam juxta Syriacam verſionem, in qva eſt Nicodemous non vero Nicodemo, & ſignificat victorem populi, qvam Hebræam, ad qvam, præter rem tamen, deſtituti etiam exemplo Vet. Teſt. ingenioſè reſpicientes nonnulli, volunt illud denotare innocentem & mundum ſangvinem, aut ſangvine, à נָכָה qvod eſt mundare & דָם ſangvis. Veriſimile enim eſt, in illa temporum concuſſione Judæis peregrina ſæpè nomina tributa fuiſſe, & qvidem Græca, qvalia ſunt Philippus, Stephanus, Andreas, Græcis imperium in Judæos obtinentibus. Niſi fortè dicendum ſit, tales fuiſſe binomines ab Hebræis ſcil. aliter, qvam à Græcis appellatos.

XII. Ratione ſectæ fuit hic Nicodemus Phariſæus; qvæ ſecta erat omnium præcipua, & præ cœteris authoritate eminens, in

Novo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

Novo Teſtamento celebris, ut colligere eſt ex Act. 23. v. 6. Erantq; Phariſæi præter legem, juxta traditiones, vivendi ratione ab aliis ſeparati, & præ cœteris conſpicui, unde etiam nomen acceperunt; qvanqvam alii, Grammaticâ etiam reclamante, exiſtiment eos nomen habuiſſe ab expoſitione & interpretatione legis.

XIII. Ratione verò publici muneris fuit idem Nicodemus Princeps Judæorum; non qvod fuerit publicus Magiſtratus & Princeps, ſeu Primas in ſtatu politico, qvales dicuntur πρῶτοι τοῦ λαοῦ Luc. 19. v. 47. οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ Matth. 21. v. 23. ac ſimpliciter πρεσβύτεροι Luc. 20. v. 1. qvum Chriſtus infra v. 10. vocet eum Magiſtrum in Iſraël: ſed qvod extiterit primas in ſtatu Eccleſiaſtico, & talis, qvalis deſcribitur Luc. 14. v. 1. ac ita unus ex illis, qvi inter Phariſæos ſummi erant, penes qvos etiam erat poteſtas judicandi in negotiis Religionis, excommunicandi & jus prehenſionis. Tales vocantur Joh. 7. v. 48. & 12. v. 42. ἄρχοντες & Luc. 14. v. 1. ἄρχοντες τῶν Φαρισαίων, qvi in aliis civitatibus habitantes appellabantur ἀρχισυνάγωγοι Marc. 5. v. 22. Luc. 8. v. 94. & 13 v. 14. Hieruſolymis verò reſidentes ἄρχοντες τῶν Ἰουδαίων heic loci, & ἄρχοντες τοῦ λαοῦ Act. 23. v. 5. Alias per τοὺς ἄρχοντας intelliguntur generaliter primates, magnates & proceres, ſive in ſtatu Eccleſiaſtico, ſive Politico eſſent conſtituti, qvi aut opibus, aut gratiâ & authoritate, aut dignitate, aut his ſimul omnibus præ reliqvis plurimum pollebant, ut legere eſt Luc. 18. v. 18. & 23. v. 35. Joh. 7. v. 26. Act. 3. v. 17. & 4. v. 26. & 13. v. 27. & 14. v. 5. qvæ tamen acceptio heic loci videtur paulò alienior.

XIV. Has autem Circumſtantias perſonales tantâ curâ annotavit Euangeliſta, non tam propter certitudinem hiſtoriæ, qvam ut moneret ac monſtraret ex omnibus ordinibus aliqvos, ſapientes ſcil. & inſipientes, potentes & infirmos, infenſiſſimosq; etiam Chriſti hoſtes, qvales erant Phariſæi, & principes populi Judaici, ad regnum Dei converti; ac palam præterea faceret, non ſolos populares Chriſto ſtatim ſub initium officii Prophetici adhæſiſſe, ſed etiam ex Principibus nonnullos, ſecus qvam ſtatuunt Phariſæi, Joh. 7. v. 48.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

XV. Nam etſi Deus, qvæ ſtulta ſunt mundo elegit, ut pudefaceret ſapientes, & infirma, ut pudefaceret robuſta 1. Cor. 1. v. 27. Non tamen omnes doctos aut potentes abjicit, qvia puſillum ac magnum ipſe fecit, & æqvaliter ipſi cura eſt de omnibus Sap. 6. v. 8. Qvod autem ex ſapientibus & potentibus hujus mundi pauci ſalvi fiant, id non Dei, ſed ipſorum vitio provenit; qvum difficulter credere poſſint, qvi gloriam mundi & divitias amant Matth. 19. v. 24.

XVI. Sed & ex hiſce circumſtantiis colligere poſſumus, utramqve perſonam hujus colloqvii fuiſſe potentem, ſapientem & juſtitiâ conſpicuum. Nicodemus enim erat Princeps Judæorum: Chriſtus autem Princeps cœlorum. Ille mundanam habebat ſapientiam: Chriſtus erat ipſa ſapientia Patris. Ille juſtus erat apud homines: hic juſtus apud Deum, imò omnis juſtitiæ author, & hominum juſtificator.

XVII. Hiſce Perſonalibus ſubjungit Euangeliſta hujus Nicodemi diſcendi ſtudium, ſed cum timore & infirmitate adhuc conjunctum, dum dicit:

οὗτος ἦλθε πρὸς τὸν Ἰησοῦν νυκτός.

Qvaſi diceret, hic non ſecutus ordinis ſui duritiem ſeſe Chriſto oppoſuit, ſed piè in eum fuit affectus; id qvod hoc ipſo declarat, qvod venit ad Jeſum diſcendi ſtudio, impleturus illa Prophetica, qvæ occurrunt Pſ. 34. v. 6. & Eſ. 2. v. 3. ſed nocte venit, prodens ſuam in fide infirmitatem, ſuumqve amorem gloriæ mundi, majorem adhuc qvam Dei, Joh. 12. v. 43.

XIIX. Qvod enim nocte venit ad Chriſtum, id factum eſt vel pudore, qvod puderet ipſum legis Doctorem diſcere, & diſcipulum ſe profiteri ejus, qvem conſtabat non didiciſſe literas; vel timore & amore gloriæ mundi, qvia reliqvos Phariſæos timebat, metuens nè in illorum invidiam protraheretur, ac gloriæ ita ſuæ jacturam faceret; vel amore ac aviditate diſcendi, ut poſſet ſecretè cum Chriſto colloqvi, nullo impediente, & ſimul diutius cum illo commorari.

XIX. Et hoc ipſo facto fuit Nicodemus diſſimilis aliis Phariſæis. Nam illi nocte miſerunt alios, qvi comprehenderent Jeſum:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

ſum: hic ad audiendum eum ipſe nocte ad illum venit. Illi horâ ſuâ malè uſi ſunt: hic doctrinæ aptum nocturni ſilentii benè captavit otium. Illi comprehendendo & ligando amiſerunt Salvatorem: hic interrogando & audiendo invenit & retinuit Chriſtum Dei verbum. Illi manſerunt Genimina Viperarum, ſepulchra dealbata & aſpides ſurdæ: hic vero homo, verus Phariſæus, re nomineq; Nicodemus & Princeps verorum Judæorum.

XX. Interim tamen hoc Exemplum Nicodemi neutiqvam patrocinatur Luci fugarum noſtri ſeculi timiditati, qvi veritatem Doctrinę cœleſtis qvidẽ norunt, eam verò profiteri publicè verentur, metuentes ſibi à Magiſtratu, aliisq; cum qvibus vivunt, adverſam religionem, ſive Pontificiam, ſive Calvinianam amplectentibus; tum qvod faciant ſcientes contra expreſſum Chriſti mandatum, ac impingant in illius pariter ac Apoſtolorum proteſtationes, Matth. 10. v. 32. 33. Luc. 9. v. 26. Rom. 10. v. 10. 2. Cor. 4. v. 13. 2. Tim. 1. v. 8. & 2. v. 12. 1. Pet. 3. v. 15; tum qvod legibus potius qvam exemplis judicandum ſit: tum etiam propter diſſimilitudinem Exemplorum. Nicodemus enim nondum erat regeneratus, atq; ita adhuc vetus Adam ad noctem ambulans, ac nondum veram lucem aſſecutus, ut illum deſcribit Lutherus, in Poſtilla Eccleſiaſtica, ante completum Redemptionis opus ac promulgationem prædicationis Euangelii in orbem univerſum. Nec qvidem ſemper timidus manſit: verum interdiu poſtmodum Chriſtum confeſſus videtur; qvod infra Cap. 19. v. 39. dicatur τὸ πρῶτον Chriſtum nocte acceſſiſſe, ut ſic noctis qvondam magiſter, diei factus ſit tandẽ miniſter, proferens heic herbam, Joh. 7. ſpicam, & 19. plenum frumentum in ſpica: ſed hi regenerati, poſt tam claram tantæ gratiæ manifeſtationem ſemper manent iidem.

XXI. Hanc præliminarem deſcriptionem Nicodemi, continentem Perſonam & tempus hujus colloqvii, excipit ipſum Colloqvium, cujus Procœmium tali verborum forma abſolvitur:

Καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ῥαββὶ, οἴδαμεν ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος;

δάσκαλος; ἐδεὶς γὰρ ταῦτα τὰ σημεῖα δύναται ποιεῖν, ἃ σὺ ποιεῖς, ἐὰν μὴ ᾖ ὁ θεὸς μετ᾽ αὐτοῦ.

XXII. Hoc Proœmio captat Nicodemus benevolentiam, dum vocat Chriſtum Ραββὶ vocandi caſu; de qva voce notandum, qvod non ſit Græca, ut vult Nicolaus Goranus imperitè, ſed Hebræa; רב רָב enim à רָבַב multus fuit, eminentem declarat, & eum, qvi multorum & magnorum ſit inſtar, ob multiplicem magnamq́; plurimarum rerum ſcientiam.

XXIII. Qvidam diſtingvunt inter Rab, Rabbi & Rabboni. Tribuunt enim Rab iis, qvi in Academiis Babylonicis magiſterium conſeqvebantur. Rabbi autem iis, qvi in regno Iſraël per impoſitionem manuum declarati ſunt ſapientes. Rabboni verò peculiariter ſapientibus domus David. Qvæ diſtinctio an magis ſubtilis ſit, qvam ſolida aliis dijudicandum relinqvimus.

XXIV. Toletus autem & Druſius, ex imperitia Sermonis Hebræi, factum putant, qvod nonnulli exiſtiment י, in Rabbi eſſe affixum; contendentes illud eſſe de nominis integritate, & י, qvod vocant, Heemanticum. Id qvod probant tum aliis ſimilibus exemplis, tum imprimis authoritate Euangeliſtæ, qvi cap. 1,38. vocem illam interpretatur non διδάσκαλέ μου, ſed ſimpliciter διδάσκαλε. Qvæ Interpretatio propterea illic addita videtur, nè Politicus Præfectus, ſed Eccleſiaſticus Doctor CHRISTUS fuiſſe credatur.

XXV. Vocans verò Nicodemus CHRISTUM Ραββὶ, edit, ſimul ſuo & ſuorum nomine confeſſionem de eo, dum dicit: ſcimus, non ego tantum, ſed nos Phariſæi ſcimus, videmus, perſpicimus, & non poſſumus, niſi contra proprium conſcientiæ teſtimonium, negare, te eſſe à Deo miſſum magiſtrum atq; neutiqvam Pſeudoprophetam; addens fundamentum hujus ſcientiæ, qvod ponit in miraculis CHRISTI, de qvibus ab effectis judicans, rectius ſentiebat & loqvebatur, qvam vel Pagani, qvi reluctante experientiâ, ea præſtigias & ludificationes ſenſuum fuiſſe aſſerebant: vel ii, qvi virtutibus naturalibus ea adſcribebant, temperamento ſcil. CHRISTI, & efficaciæ imaginativæ,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

aut conſtellationi cœleſti illa tribuentes calumnioſè: vel Judæi ipſi, cum Phariſæis cœteris poſtmodum, qvi blaſphemè magicis artibus miracula Chriſti annumerabant, virtute utpote Beelzebub facta, Matt.12,24. Marc.3,22. Luc.11,17; dum rotundè profitebatur neminem poſſe talia ſigna facere, qvalia Chriſtus fecerat in Paſchate proximo, & fortè etiam jam fecit in feſto Pentecoſtes, niſi Deus cum eo ſit.

XXVI. Nondum tamen ſatis intellexerat finem miraculorum Chriſti, qvi fuit monſtrare ipſum non tantum à Deo miſſum eſſe, qvod cum aliis Prophetis habuit commune, ſed & promiſſum Meſſiam, ipſiſſimumq; Dei Filium, ac Deum eſſe; qvem etiam finem Chriſtus ipſe ſubinde expreſſit, Matth. 9, 6. Joh. 11, 27. 43. Et hoc ipſum miracula Chriſti in ſeipſis conſiderata, ſuppoſitis his, qvæ per Prophetas prædicta erant, Eſ.35,5.6. ſatis ſuperq; probabant & demonſtrabant; id qvod ex reſponſione, qvam dedit Chriſtus Diſcipulis Johannis Matth. 11, 4. manifeſtiſſimum eſt.

XXVII. Ingens autem diſcrimen eſt inter Chriſti & aliorum Prophetarum atq; Apoſtolorum miracula. Moſes qvidem mutavit aqvam in ſangvinem, & baculum in ſerpentem, & produxit pediculos & ranas, aliaq; miracula fecit; ad qvæ tamen producenda nihil aliud præſtare potuit, qvam qvod humanam ſuam vocem & externum miniſterium accommodavit: qvòd verò aqvæ in ſangvinis ſubſtantiam, & baculus in ſerpentem convertebantur, aliaq; revera talia fiebant, qvalia videbantur, id non Moſi, qvi non ſuam gloriam, ſed Deo Hebræorum, cujus gloriam Pharaoni manifeſtabat, in ſolidum tribuendum eſt. Chriſtus autem ſuis miraculis non alienam, ſed ſuam gloriam palam fecit, cujus virtute & cooperatione, non verò propriis viribus Apoſtoli etiam ſigna fecerunt Marc.16,20. Unde etiam ſubinde in productione miraculorum ſuorum addiderunt hæc verba: *In nomine JEſu*, tibi dico ſurge, Actor. 3. verſ. 6. &c.

XXIIX. Et hæc miracula non λόγος tantum, ſed Christus tanqvam Christus operatus eſt, qvi ſuam gloriam, per unionem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

nem qvidem acceptam, verum ſub forma ſervi hactenus laten- tem publicè ſubindè manifeſtare voluit. Unde indubiè colligitur Chriſtum ſecundum humanitatem ad veram & realem κοινωνίαν veræ divinæ omnipotentiæ τοῦ λόγου evectum eſſe, cum & talia miracula divinæ potentiæ tantum ſint opera, & λόγος præterea aliâs non alia ratione per ſuam humanam naturam feciſſet miracula, qvàm per Prophetas & Apoſtolos; qvod non modò abſurdum eſt, ſed & unica voce, *ſuam*, liqvidò refutatur, dum cap. 2, 11. dicitur, qvod edendo miraculum in Canâ gloriam manifeſtaverit *ſuam*. Qvamvis enim humana Chriſti natura ex proprietate ſuæ eſſentiæ, nunqvam poſſet ejuſmodi, ſigna facere; tamen qvia in κοινωνίαν omnipotentis verbi eſt exaltata, [qvod nec Prophetis nec Apoſtolis contigit] ſimul etiam ad virtutem ejus per hanc unionem conſcendit, adeò ut Deus λόγος unitus homini ediderit prodigia, non ſeparatus à naturâ aſſumptâ, ſed in ipsâ, & per ipſam divinam ſuam potentiam exercens. Qvæ verba ſunt Athanaſii Dial. 5. contra Apollinariſtas.

XXIX. Qvanqvam autem Nicodemus profitendo Chriſtum non ipſum Deum eſſe, ſed miſſum â Deo Magiſtrum, videatur tantum voluiſſe confiteri eum verum Prophetam à Deo miſſum, & ita nudum hominem fuiſſe, illumq; talem ſeparare ab eorum numero, de qvibus loqvitur Jeremias cap. 23.: altiorem tamen, ſi veritatem rei conſideramus, continet hæc confeſſio doctrinam, perinde ut & illa Magorum, Matth. 2, 2: ubi eſt, qvi natus eſt Rex Judæorum. Venit enim Chriſtus à Deo Magiſter, qvia in eo omnes Theſauri ſapientiæ Patris, ab ipſo Conceptionis momento, fuerunt Col. 2, 2. utpote cujus ipſe ſapientia infinita eſt, ut propterea & jam ejus doctrina non fuerit humana, qvalem Philoſophi & mundi Sapientes habuerunt, ſed cœleſtis & divina, qvalem nemo hujus ſeculi Principum cognovit, homines ſcil. ipſos perducens ad Deum; qvam non per doctrinam & diſciplinam didicit, ut homo, ſed ab inhabitante divinitate accepit, modo omnibus in comprehenſibili Matth. 13, 54. Marc. 6, 2. Verum hæc omnia nondum intellexit Nicodemus; unde

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

in fide claudicans heic invenitur, qvi in dilectione prius inveniebatur frigidus, utroq; ita poplite laborans.

XXX. Chriſtus interim, qvi calamum qvaſſatum non erat contriturus, nec linum fumigans extincturus Eſ. 42. 3. has ejus infirmitates patienter ſuffert, ac intelligens eum, utut infirmum adhuc, non animo fucato, non calumniandi ſtudio, non tentandi gratia [qvale alias fuit ingenium reliqvorum Phariſæorum, qvibus propterea vel nihil, Matth. 21, 27. vel durioribus verbis, Matth. 22, 37. reſpondit Chriſtus] ſe accedere, ſed vero minimeq; diſſimulato diſcendi amore, qvem prodit vocando illum Rabbi, & profitendo ſe & alios agnoſcere eum pro Magiſtro à Deo miſſo, ipſum ſuo dignatur amico colloqvio; ſentiensq; ipſum verſari adhuc in tenebris Phariſaicis ac juſtitia operum, in id laborat unicè, ut illam opinionem penitus ei eximat. Unde

v. 3. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ: Ἀμὴν, Ἀμὴν λέγω σοί, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, ὀ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.

XXXI. Phraſis hæc ἀπεκρίθη καὶ εἶπεν, paſſim aliàs occurrit in Novo Teſtamento, Matth. 11, 25. & 15, 15. Marc. 11, 14. Eſtqve Hebræa, apud qvos עָנָה & אָמַר reſpondere & dicere ſæpè conjunguntur, etiam qvando nulla præceſſit interrogatio, ac ſignificat vel re probè penſitatâ & deliberata aliqvid proloqvi & teſtari Gen. 18, 22. 1. Sam. 8, 17: vel vocem multitudinis alternatim & tumultuariè reſponſantium Ex. 32, 8. vel, non ad interrogationem, ſed ad factum aliqvod, aut cogitationes & ſuſpiciones alicujus, id qvod dicitur, accommodare Luc. 14, 3. vel tandem ſimplex initium ſermonis, qvaſi eſſet, dixit dicens; qvorum modorum huic loco aptiſſimè penultimus accommodari poteſt.

XXXI. Videtur enim Chriſtus, ut fidem in Nicodemo majorem accenderet, noluiſſe expectare, donec ipſe, qvod vellet, exponeret, ſed ad cogitata animi ipſius, ſive ad ea qvæ mente volvebat, voluiſſe præveniendo reſpondere, qvo Nicodemus vel inde etiam intelligeret, eum eſſe ſcrutatorem cordium, ac ita verum Deum, 1. Par. 28, 9. Pſ 7, 10. Jer. 17, 10. Niſi forte dicendum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

dum, Euangeliſtam brevitatis ſtudio in reſponſione CHRISTI tacitè inſinuaſſe, qvæ fuerit interrogatio Nicodemi, hæc nimirum: qvænam eſſet ratio conſeqvendi vitam æternam, aſcendendi in cœlum & perveniendi in regnum illud Dei, qvod Baptiſta & Chriſtus tunc prædicabant.

XXXIII. Aliâs Theophylactus qvidem hanc reſponſionem Chriſti cum verbis Nicodemi ita connectit: Tua, Nicodeme, de me opinio carnalis tantum eſt & humana, qvi nondũ renatus, ſed carnalis adhuc es; niſi enim qvis renatus fuerit, non poteſt regnum Dei videre, hoc eſt, non poteſt me rectè cognoſcere, qvòd ſim unigenitus Dei filius. Cyrillus verò eandem ita accommodat ad præcedentia: Tu tantum admiraris ſigna qvæ facio, & exiſtimas ſatis eſſe ad ſalutem, qvod ſtatuas me eſſe Doctorem à Deo miſſum: ſed dico tibi, notitiam illam non ſufficere; qvum ſi qvis velit in regnum Dei introire, ipſi opus ſit, ut renaſcatur ex aqva & ſpiritu. Qvanqvam verò hæc ſano ſenſu vera ſint: prius tamen adducta ut ſimpliciora, ita textui magis videntur accommoda.

XXXIV. Chriſtus igitur, ceu verus Rabbi & cœleſtis Doctor, informaturus hunc docilem Diſcipulum incipit à primis rudimentis & qvaſi ab Alphabeto, Regeneratione ſcilicet dum dicit: ἀμὴν, ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, οὐ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.

XXXV. Hebræa vox ἀμὴν, qvæ propter magnam & illuſtrem ἔμφασιν, qvam habet, etiam in aliis lingvis retenta fuit, non heic ſumitur Nominaliter, qvo modo occurrit vox illa Eſ 65,15. Apoc 3.14: ſed Adverbialiter; idqve non in confirmatione & conſenſu dicti alterius per modum orationis & receptionis Deut.27,15. Num.5,22. votiq; & optationis ac gratiarum actionis, Nehem.8,6. Pſ.41,14. Apoc.7,12. 1.Reg 1,36. 1.Par.16,36. Jer. 11.5. Luc.1.38: ſed in affirmatione & aſſeveratione ſermonis, qvẽ qvis ipſe loqvitur, perinde ut Matth. 16,18. Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, qvod explicatur Luc 9,27. λέγω ὑμῖν ἀληθῶς, qvalis etiam collatio inſtituti poteſt inter loca Matth. 24, 47. cum Luc. 12, 44. & Marc.12,43. cum Luc.21,3. Et hæc enunciatio ἀμὴν ἀμὴν, geminato

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

nato ἀμὴν ἐμφάσεως cauſſâ, non eſt juramentum, ut contendunt cum veteribus, nonnulli ex recentoribus: ſed tantum veritatis aſſeveratio & confirmatio eaq; vehementiſſima; tum qvod Hebræa vox אָמֵן ſignificet tantum aſſeverationem, corroborationem, confirmationemq; Deut. 27,15. Nehem. 8,7. Pſal. 41,14. Unde qvod in uno Euangeliſtarum Hebraicè per ἀμὴν dicitur, in altero Græcè per ἀληθῶς exponitur, ut modò monuimus; tum qvod heic, ut in omni juramento aliàs, non interponatur Deus tanqvã teſtis & judex; tum qvod ναὶ, particula æqvipollens ἀμὴν Matth. 23,36. & Luc. 11,51. qvæ etiam geminata occurrit, Matth. 5,37. Jac. 5,12. & cum ἀμὴν conjuncta Apoc. 22, 20. perinde ut Abba pater, Rom. 8,15. non ſit nota jurantis ſed affirmantis.

XXXVI. Vocabulum autem γεννηθῇ reddendum videtur potius, cum Valla, per genitus, qvam natus vel renatus, cum Vetere Interprete, non ſine βαττολογία: non modò qvia Græcum eſt genitus & gigni, ſed etiam qvia qvum dicitur naſci, videtur res tantum ad matrem referri, qvum vero generari ad utrumq; parentem referatur; qvicqvid tandem videatur Ludovico de Dieu in ſuis Animadverſionibus in Euangelia pag. 410.

XXXVII. Adverbium verò ἄνωθεν, qvomodo ſit accipiendum & reddendum, non eſt una omnium ſententia, qvum & ſignificet è ſupernis & denuò. Priorem ſignificationem heic retinendam ſtatuerunt cum Cyrillo, Nazianzeno & Theophylacto Hunnius, Gerhardus in Harm. paſſ. p. 533. & Tarnovius in hæc verba: Fundamenta hujus aſſertionis ſuppeditat partim etymon vocis ἄνωθεν, qvod ſonat de ſurſum, & non denuò, partim uſus communis, in qvo freqventius accipitur pro deſuper, qvam pro iterum: partim ipſe Euangeliſta, qvi alias hoc Adverbio utitur pro è ſupernis Cap. 3,7. & 19,11. in qva etiam ſignificatione occurrit illud Jacob. 1,17. & 3, 15. Pro poſteriore contra acceptione pugnant Pontificii ad unum fermê omnes, qvò defendant Veterem Interpretem; confirmantes ſuam ſententiam ex objectione Nicodemi, qvi ἄνωθεν [ſeu Syriacam potius aut Hebræam vocem omni qvod volunt illi, ambiguitate carentem, qvâ Chriſtus uſus creditur] non aliter accepit qvam pro denuò

ſeu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

ſeu iterum, in eo à Chriſto non reprehenſus. Unde non repetit ille vocem ἄνωθεν in ſua objectione, ſed aliam ſubſtituit nempe δεύτερον, id eſt, ſecundò, iteratò, qvæ apertius reſpondet τῷ πάλιν iterum, denuò ab integro, vel à principio, qvam τῷ è ſupernis.

XXXIIX. Chemnitius verò cum Chryſoſtomo & aliis nonnullis utramq; ſignificationem conjungendam ſtatuere videtur in Harmonia, qvod Regeneratio noſtra ſit nova & ſecunda generatio, reſpectu veteris & primæ, in qva non reqviritur mutatio in accidentibus tantum naturæ humanæ; nec in parte aliqva ſubſtantiæ correctione & reformatione opus eſt, ſed de integro, ab ipſis primis humanæ naturæ initiis tota illa refingenda eſt, dùm ipſa natura noſtra, qvam generando & naſcendo accepimus, non tantum ſauciata, læſa & infirmata eſt, ut vel particulari ſanatione & auxilio juvari, reſtituive, vel aſſvefactione corrigi ac habitibus excoli poſſit: Verum tota adeò corrupta eſt & depravata, in ipſa generatione, ipsâ origine ita in vitio exiſtente, ut non corrigenda, aut reſarcianda, ſed tota regeneranda ſit, etiam interpretibus Apoſtolis, qvi hanc locutionem reddiderunt per ἀνὰ & πάλιν, 1. Pet. 1, 3. & 23. Tit. 3, 5. Eademq; è ſupernis etiam ſit ſpiritualis & cœleſtis, tranſcendenter divinitùs facta, ratione terrenæ, carnalis, & naturalis generationis, dum per Spiritum S. confertur adoptio & reliqva dona regenerationis, Joh. 1, 13. qvomodo etiam Jacobus Ep. ſuæ cap. 1, 18. explicaſſe hanc Chriſti ſententiam videtur. Utut autem qvoad rem nihil à veritate alienum ſapiant hæ ſingulæ opiniones, qvoad vocem tamen reliqvis primam præferendam cenſemus, id qvod ex explicatione Chriſti boni Medici inſtar multa diſſimulantis in Nicodemo v. 5. & 6. liqvet, ut taceamus Syriacam & Hebræam vocem neq; omni carere ambiguitate.

XXXIX. Phraſis porro illa ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ videtur Chemnitio & Tarnovio ſimilis eſſe illis Pſ. 16, 10. videre corruptionem, & Luc. 2, 26. videre mortem ac ita eadem cum illa v. ſeq. 5. εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Hic verò etiam obſervavit illam ſignificationem Verbi videre locum heic habere

poſſe,

poſſe, qvæ occurrit Joh. 14, 17. pro agnoſcere & cognoſcere; ubi tamen in Græco non eſt ἰδεῖν ſed θεωρεῖν. Alias qvidem variæ ſunt acceptiones verbi εἴδω & videre, ex qvibus talis heic ſenſus elici poteſt: Qvi non eſt genitus è ſupernis, non poteſt intelligere, agnoſcere, deſiderare, qværere, amplecti, & accipere regnum Dei; imô vero videre non datur tali homini regnum Dei, ergo multo minus ejus poſſeſſio ſine παλιγγενεσία.

XL. Sed & variant Commentatores de regno Dei, qvid per illud veniat intelligendum, dum alii accipiunt illud, non ſatis commodè, pro ipſo Chriſto, cum regnum Dei diſtinctum ſit à Chriſto, illius datore & authore. Alii verò exponunt de regno gratiæ ſeu Eccleſia militante & ſanctitate in ea. Alii de regno gloriæ, ipſa ſc. vitâ æternâ & beatitudine ibidem abſolutiſſimâ. Qvæ utraq; expoſitio non incommodè conjungi poſſe videtur. Regnum enim gratiæ, ſeu Eccleſia militans in hiſce terris eſt qvaſi πρόθυρον καὶ προαύλιον ad regnum gloriæ & Eccleſiam triumphantem in cœlis. Et qvi in hac vita eſt vivum veræ Eccleſiæ membrum & in vera fide uſq; ad finem perſeverat, is aliqvando futurus eſt membrum Eccleſiæ triumphantis & hæres regni cœlorum. Unde etiam qvod heic vocatur regnum DEI, id infra v. 16. vitæ æternæ nomine venit.

XLI. Expectabat qvidem Nicodemus, cum cœteris Judæis unà regnum aliqvod à Meſſia inchoandum, ſed terrenum & mundanum, in qvo liberarentur à poteſtate & jugo Romanorum, & de tali regno exiſtimabat Baptiſtam & Chriſtum concionari. Chriſtus autem alterius regni heic mentionem facit, qvod vocat regnum Dei, in eo ſitum, qvod Filius Dei promiſſus Meſſias humanum genus, ſuâ morte ex poteſtate & regno Satanæ, in qvod per peccatum inciderat, liberaturus, ac per prędicationem Euangelii Eccleſiam ſuam collecturus erat; qvam etiam in hâc vitâ velut proprium ſuum regnum adverſus omnes hoſtes defendere, ac tandem ad regnum gloriæ in vitâ æternâ transferre volebat.

XLII. Ex hac reſponſione ſeu informatione Chriſti, utut obſcuriore adhuc, pro confundendo & exercendo Nicodemo, haut
difficulter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

difficulter colligitur, qvæ potiſſimum capita in concione & do-ctrinâ Chriſti, qvam inculcaverat Hieruſolymis, Nicodemi animum turbarint & offenderint. Homines nimirum, qvi ad beatitudinem initiò erant creati, propter peccatum Adæ primi, incurriſſe tantam maledictionem, ut omnes poſteri ejus ab eo prognati abominabiles & inutiles ſint naturâ, dum in corpore, animâ, & omnibus viribus ac operibus adeò ſunt depravati, ut nemo per ſe & ex ſe poſſit regnum Dei videre, aut ad illud pervenire: Et propterea omnibus hominibus, qvi nolunt perire, ſed vitam æternam habere, opus eſſe, ut regenerentur ad ſpem vitæ æternæ propter ſecundum Adamum Chriſtum 1. Pet. 1. v. 3. hoc eſt, ut ex filiis Adami filii Dei fiant, ac fide in Chriſtum gratis ſalventur, ad qvam regenerationem, perinde ut ad primam generationem, homo ex ſe ipſo nihil planè conferre poteſt; utut illam impedire poſſit, & Deo regenerare volenti reſiſtere, non tantum carnali malitiâ Rom. 8, 7. ſed etiam actuali pervicaciâ Matth. 23, 27. Act. 7, 14. & 13, 4. hanc verò non item. Qvæ etjam duo omnibus temporibus rationem humanam offenderunt, hodieq; offendunt qvam maximè.

XLIII. Nicodemum igitur, adhuc carnalem & animalem, carnaliter res minimè carnales, ſed qvæ Dei erant, intelligentem, de reqviſito ipſo, nempe Regeneratione, qvæ impoſſibilis ipſi, qvi aliam nativitatem qvam carnalem non noverat, videbatur, qværentem & objicientem ita introducit Euangeliſta:

v. 4. Λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Νικόδημος: πῶς δύναται ἄνθρωπος γεννηθῆναι γέρων ὤν; μὴ δύναται εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς αὐτοῦ δεύτερον εἰσελθεῖν καὶ γεννηθῆναι.

XLIV. Alii certè Phariſæi, ſi audiviſſent hæc verba Chriſti, riſiſſent & abiiſſent, perindè ut fecerunt Capernaitæ & ex Diſcipulis ipſius etiam nonnulli, Joh. 6, 66. Hic autem noſter, qvod laudi ipſi vertendum, perſeverat pulſando donec illi aperitur, ac ab affectu carnali ad intelligentiam pervenit ſpiritualem. Et hac ratione πῶς ejus, & qvidem ceu nondum renati, nec multum credentis, ſed adhuc terrena ſapientis (qvalium illam particulam aſſerit eſſe Chryſoſtomus, qvam Cyrillus nominat Judai-

cum verbum, ſtatuitq; extremi ſupplicii cauſſam) diſcere interim deſiderantis & exoptantis (qvicqvid tandem vidêtur Toleto, qvi hic admixtam vult qvandam ſcintillam ſuperbiæ) dum dicit: *Qvomodo* poteſt homo generari ? vox eſt qvidem rationis humanæ, carnalibus cogitationibus perturbatæ: non tamen irridentis ea qvæ dicebantur cum improbis, ſed admirantis potiùs, juxta v. 7. & qværentis veritatis gratiâ de genuino intellectu Regenerationis, qvam non intellexit Nicodemus, nec intelligere potuit per prudentiam & ſcientiam carnis; qvum talia, ſpiritualiter dijudicanda, animali homini ſint ſtultitia, 1. Cor. 2. v. 14. Carnalem noverat generationem, qvâ ex ſangvinibus & voluntate carnis & ex voluntate viri homines gignuntur, nihil ſciens de illâ, qvâ ex Deo regenerantur, Joh. 1, 13. De illa qvam noverat, loqvitur; ad alteram nondum aſcenderat.

XLV. Qvi verò hodieq; *Qvomodo* qværunt in ſpiritualibus & divinis, minus ſunt excuſabiles, qvam Nicodemus, qvod in tantâ luce cœcutiant adhuc, nolintq; fidem habere revelatis, ac ipſis acqvieſcere: ſed inqvirunt in Deum abſconditum, ſcrutantes ita majeſtatem, ut propterea non mirum ſit eos opprimi à gloriâ, Prov. 25, 27. degenerare à ſimplicitate qvæ eſt in Chriſto, 2. Cor. 11, 3. ac circa fidem, 1. Tim. 6, 21. & veritatem aberrare à ſcopo, 2. Tim. 2, 18. atq; ita ſeparari à Chriſto, ac gratiâ excidere, Gal. 5, 4.

XLVI. Qvamvis autem omni ætati ſit impoſſibile denuò naſci corporaliter eo modo, qvem deſcribit Nicodemus, ut ſcil. homo in uterum matris ſuæ ſecundò introeat, & naſcatur (licet nonnulli poſt baptiſmum ad ventrem Matris concupiſcentiam ſc. & peccatum revertantur, in qvos competit illud Ez. 16, 9. In diebus ortus tui non eſt præciſus umbilicus tuus; ſicut contra credentes & Electi in uterum qvaſi gratiæ, in qvo initio homo creatus & veluti genitus erat, ac ex qvo projectum univerſum genus humanum in Adam, per fidem in Chriſtum redire poſſunt) meminiſſe tamen videtur Nicodemus ſenectutis in ſpecie, dum dicit: qvomodo poteſt qviſpiam generari, qvum ſit ſenex, tum ut à ſe ipſo exemplum promeret, qvi jam ſenex ſuam

qvære-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

qværebat ſalutem; tum ut ab ætate contrariâ omninò naſcenti dubium & objectio eſſet evidentior, ut taceamus tertiam rationem minus ſolidam, qvam prioribus addit Alphonſus Salmeron, Nicodemum ſc. putaſſe pueros & adoleſcentes bene habere, & renaſcentiâ minimè indigere, qvod prolixioris vitæ ſpem concipiant: ſenes vero vitæ, qvam ſibi deficere ſentiunt, cupidiores eſſe.

XLVII. Ad hanc Nicodemi qvæſtionem ſeu objectionem, non ex malitiâ, verum ex inſcitiâ potius profectam

v. 5. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.

XLIIX. Non deſunt, qvi volunt priorem Chriſti aſſertionem de Regeneratione v.3. fuiſſe generalem, complectentem mortales univerſos ſive ſub lege naturæ, ſive Moſis in Veteri Teſtamento qvomodocunq; regenitos, hanc verò poſteriorem eſſe ſpecialem, qva peculiaris & ſingularis N. T. renaſcentię modus ordinarius declaretur. Qvæ ſententia ſuâ non caret probabilitate; qvum certum ſit, ſanctos, qvi in V.T. tam ante legem, qvam poſt legem latam vixerunt, verè ἄνωθεν regeneratos fuiſſe, dum credentes in Chriſtum venturum, filii Dei ac hæredes vitæ æternæ facti ſunt, ut videre eſt, Gen.5,24. & 6, 9. 1. Reg. 14, 8. 2.Reg 23,25. Job.1,12. Luc.1,6. Act.13,2. Heb.11, à v. 8. ad 17. Jac. 2, 23. 2.Pet 2,7.

XLIX. Nos interim ſimpliciorem communem ſententiam ſeqventes, ſtatuimus eſſe hanc repetitionem, priorum planiorem expoſitionem, in qva ἄνωθεν explicatur per ὕδωρ καὶ πνεῦμα & ἰδεῖν per εἰσελθεῖν. Magnâ igitur aſſeveratione, perinde ut ſupra, aſſerit Chriſtus, non loqvens ex ore Jehovæ ad morem aliorum Prophetarum, ſed propriis ſuis verbis, tanqvam ipſe Jehova & Deus, neceſſariam eſſe omnibus, ipsô etiam Nicodemô, cum qvo loqvebatur, incluſô, qvi aliàs tanqvam Phariſæus habebat Zelum legis Act. 26,5 Gal.1,14. & ſecundum juſtitiam in lege erat irreprehenſibilis Phil. 3,6. Regenerationem in N. T. ex aqva & ſpiritu (Vetus interpres cum aliis nonnullis, ex Patrib9

 tàm

tàm Græcis qvàm Latinis addit, ſancto Ambroſio legente & per aqvam & ſpiritum, & de aqva & ſpiritu. Unde Toletus licet minus ſolidè colligere vult Græca exemplaria olim varia extitiſſe, nullâ interim cum rei diverſitate) per qvæ duo non intelliguntur diſtincti baptiſmi Johannis & Chriſti, ex ſententia Pontificiorum heterodoxa. Qvanqvam enim certâ notâ Johannis Baptiſmus à baptiſmo Apoſtolorum diſtingvebatur, adminiſtratus videlicet in Chriſtum ἐρχόμενον ratione manifeſtationis & prædicationis, Matth. 3, 11. Act. 19, 4. Solis Judæis, Matt. 3, 5. Epheſ. 2, 12. & qvidem ſine ulla miraculoſa collatione viſibilium Spiritus ſanctus donorum, Joh. 10, 41. Conveniebat tamen cum illo, authore Deo, Matth. 21, 25. Joh. 1, 23. Materiâ qvæ fuit aqva, cum totâ S.S. Trinitate, Matt. 3, 16. 17. Formâ, nempe qvod fuerit lavacrum aqvæ in verbo, Eph. 5, 6. Tandemqve Fine; qvum fuerit lavacrum reſipiſcentiæ in remiſſionem peccatorum, Marc. 1, 4. & Medium, qvo à ventura ira liberabantur ab ipſo baptizati, Matt. 3, 7. ac conſilium Dei, qvod qvi ſeqvebantur, ſalvati ſunt, Luc. 7, 30; qvæ effecta nudæ aqvæ à Spiritu Dei ſejunctæ adſcribi nullâ ratione poſſunt; ut taceamus, ſecus ſi eſſet, alio membra, & alio caput Chriſtum baptiſmo uſum eſſe, illumq; ſuo baptiſmo noſtrum non ſanctificaſſe, nec unum novi Teſtamenti eſſe baptiſmum, qvæ aſſertio adversâ fronte cum Paulo pugnat, Eph. 4, 5.

L. Et hinc non rebaptizabantur baptizati à Johanne Apoſtoli & alii; utut aliud probare conentur nonnulli ex loco Act. 19, 4. divellentes μιμητικὴν Pauli bimembrem recitationem, tam de ſummâ Concionum Johannis Baptiſtæ, qvam de re poſt concionem ab eodem geri conſveta; qvæ duo connectunt particulæ μὲν & δὲ; præterqvam qvod ibi ſit ſermo non de collatione Spiritus gratiæ regenerantis per Apoſtolos, ſed de donis Spiritus S. miraculoſis, qvæ etiam per Apoſtolorum manuum impoſitionem, non qvidem ſemper, ſed qvam ſæpiſſimè cum baptiſmo collata ſunt credentibus.

LI. His obſervatis facilis ac expeditus eſt eorum verborum intellectus, qvæ ſupra cap. 1, 26. dicit Johannes: Ἐγὼ βαπτίζω ἐν

ὕδατι

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

ὕδατι, ubi diſcernit ſolummodo, in ſua perſona, inter externam miniſtrorum Eccleſiæ διακονίαν ſeu miniſterium, & internam Chriſti δύναμιν ac ἐξουσίαν. Qvod enim per externum miniſterium intus animi ad pœnitentiam convertantur, fide illuminentur, ad remiſſionem peccatorum per Spiritum S. renoventur, hoc non poteſt miniſter facere, ſed in ſolidum eſt opus, efficacia, & donum Chriſti; qvæ tamen efficacia ne divellatur ab externo miniſterio, ideo ſcriptura aliàs conjunctim loqvitur de miniſterio & efficacia, Act. 26, 18. 1. Tim. 4, 16. Johan. 20, 23. Eſt namq; baptiſmus unum ἀποτέλεσμα, ad cujus σύστασιν duæ concurrunt ἐνέργειαι, una miniſtri, aqvam cum pronunciatione verborum aſpergentis: altera Chriſti, ſimul mediante ejuſmodi aqvæ aſperſione efficaciter operantis. Qvæ ἐνέργειαι etſi principii reſpectu diverſæ & diſcrepantes ſint, non tamen ſunt divulſæ, ſed ad unum ἀποτέλεσμα vi & vigore inſtitutionis Chriſti myſticè conſpirant.

LII. Similiter neq; particula καὶ hoc loco eſt exegetica, ut contendunt Calviniani, elevantes neceſſitatem & effectum Baptiſmi, qvaſi aqva & Spiritus pro eodem ponerentur, perinde ut volunt Spiritum ſanctum & ignem pro eodem ſumi Mat. 3, 11; qvum nuſpiam in ſcriptura (in qva non ſemper qvod conjunctim profertur, rei ejuſdem eſt explicatio) aqva & Spiritus ita jungantur, ut rem unam & eandem ſignificent; & aliud ſit Spiritus S. aliud ignis in qvo ſe miraculosè viſibilem exhibuit, ut videre eſt Act. 1, 5. & 2, 3. & 8, 15. & 19, 5.

LIII. Nec etiam propriè & primò per aqvam heic intelligitur mortificatio veteris hominis, & per ſpiritum renovatio naturæ, qvanqvam illa ſignificet Baptiſmus juxta Lutherum; multò minus per aqvam & ſpiritum heic intelliguntur liqvida & pura elementa oppoſita craſſiori elemento terrenæ ſcilicet moli corporis humani, qvaſi Chriſtus per metaphoras aqvæ & aëris hortaretur homines ad novitatem vitæ, ut ineptiſſimè heic philoſophantur nonnulli.

LIV. Sed per aqvam, propriè heic acceptâ voce, intelligitur materia externa viſibilis, & terrena baptiſmi, juxta dicta

Eph. 5, 27.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

Eph. 5, 27. Tit. 3, 5. 1. Joh. 5, 8. qvâ etiam primus adminiſter Baptiſmi hoc Sacramentum adminiſtravit, Matth. 3, 6. Apoſtoli ipſi baptizaverunt Act. 8, 36. & qvam Spiritus ſanctus jubet in Baptiſmi adminiſtractione adhiberi, Eph. 5, 26. Idq; ex ſententia religioſa Patrum, tum ad implendam typorum veritatem, Eſ. 12, 3. & 44, 3. 4. Ez. 16, 9. & 36, 25. 26. & 47, 1. Joel. 3, 28. &c; tum ne materia ad tantæ neceſſitatis Sacramentum nemini non in parato eſſe poſſet; tum deniq; ob analogiam qvæ aqvæ intercedit cum hoc Sacramento 1 Pet. 3. Per Spiritum verò ita abſolutè ſine articulo poſitum, perinde ut Joh. 4, 25. ſignificatur interna, inviſibilis & cœleſtis materia ejuſdem ſacramenti, nempe tota S.S. Trinitas juxta Inſtitutionis verba, Matt. 18, 19. Toti enim SS. Trinitati adſcribenda Regeneratio noſtra: qvanqvam hoc opus ad extra, tanqvam bonitatis & charitatis Dei, meritò perſonæ Spiritus S. per appropriationem aliàs attribuitur in Scriptura; Atq; ita per aqvam & ſpiritum tanqvam matrem & patrem hujus Regenerationis exponit heic Chriſtus Sacramenti Baptiſmi materiam, ſicut in priore Propoſitione per ἄνωθεν ejuſdem cauſam efficientem inculcaſſe videtur, cum fine ejuſdem ultimo utrobiq;, qvi eſt viſio regni Dei, ſeu introitus in regnum Dei.

LV. Alii aqvam interpretantur Baptiſmum, per qvem intelligunt totum externum miniſterium Euangelii, videlicet verbum & Sacramenta; atq; ita non tantum intinctionem in aqvam, vel affuſionem aqvæ: ſed etiam doctrinam Euangelii de Jeſu Chriſto, in cujus nomine Baptiſmus diſtribuebatur & adhuc diſtribuitur; qvo ſenſu vox Baptiſmi occurrit, Marc. 1, 4. Luc. 3, 3. Matth. 21, 25. Marc. 11, 30. Luc. 20, 4. Act. 1, 22. & 10, 37. & 13, 24. & 18, 25. & 19, 3. Sola enim intinctio in aqvam ſeu infuſio aqvæ per ſe non eſt niſi corporalis lotio & externum balneum, ſed addito verbo ſeu Evangelij doctrina, cujus epitome ſunt verba: Baptizo te in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti, qvæ promittit per Baptiſmum remiſſionem peccatorum, & veram coram Deo mundiciem, propter Jeſum Chriſtum, qvi & cum Patre & Spirito ſancto verus & æternus Deus, ſit verus Baptiſmus. Per Spiritum verò intelligunt Spiritum ſanctũ, qvi per Baptiſmum

hoc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

hoc eſt, per verbum & Sacramenta donatur, ut hominem renovet, & per lavacrum aqvæ Baptiſmi efficaciter operatur, ac ſordes primæ ex parentibus nativitatis emundat.

LVI. Alii per aqvam intelliguntBaptiſmum & cauſſam organicã, per Spiritum verò cauſam principalẽ Regenerationis noſtrę. Qvanqvam enim Deo & ſpiritui ejus adſcribenda ſint opera regenerationis noſtræ; illa tamen non Enthuſiaſtica ratione, ἀμέσως, ſed per ordinaria media operatur. Ut taceamus Patrum nonnullorum meditationes, qvi volunt Chriſtum alluſiſſe ad totum hominem regenerandum, conſtantem corpore viſibili & animo inviſibili, per aqvam corpoream viſibilem, & ſpiritum inviſibilem, tanqvam duas cauſſas regenerationis. Qvæ ſententiæ qvoad rem nihil habent heterodoxum aut contrarium prorſus priori ſententiæ; utut qvoad modum rei & terminos ab ea differre videantur.

LVII. Hæc Regeneratio, qvæ modo jam explicato fit, complectitur primò, qvod Spiritus ſanctus tenebras noſtras, hoc eſt, mentem voluntatem & cor, collatis per medium à Deo ad id ordinatum novis ſpiritualibus donis & facultatibus illuminet, ut regnum Dei videre poſſimus. Secundo confert gratis propter Chriſtum per fidem acceptum (minimè verò propter noſtram imperfectam novitatem, ſeqventem, non autem præcedentem adoptionem) remiſſionem peccatorum, juſtificationem, adoptionem, & hæreditatem vitæ æternæ, dum ex filiis iræ facit filios gratiæ. Tertiò comprehendit fructus, ut ſcil. efficiamur novæ creaturæ, creati in Chriſto ad bona opera, Epheſ. 2,10. ac novum hominem induamus, qvi ſecundum Deum conditus eſt ad juſtitiam & ſanctitatem veram cap. 4, 24; inq; novitate vitæ indies magis magisq; ambulemus Rom. 6, 4.

LIIX. Alia igitur ratione reſpondit heic Chriſtus Nicodemo Phariſæo, qværenti de modo perveniendi ad vitam æternam, qvam vel Adoleſcentulo, Matth. 19, 16. Marc. 16, 17. Luc. 18, 18. aut legisperito Luc. 10, 25. Hos enim inflatos juſtitia legis, ac exiſtimantes ſe ſuis viribus & meritis poſſe implere legem, remittit ad faciendam legem, ut reipsâ comperirentur imbecillitatem virium

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

rium ſuarum , & humiliarentur , ac agnoſcentes iram Dei & damnationem ſuam excitarentur ad qværendam aliam ſalutis viam, qvæ eſt in benedicto ſemine Abrahæ Jeſu Chriſto propoſita. Illum autem ſollicitè interrogantem , humiliato procul dubio & contrito corde, de vera ratione ingrediendi in regnum Dei, remittit ad audiendum Euangelium de remiſſio ne peccatorum , qvod eſt potentia ad ſalutem omni credenti, Rom. 1, 16.

LIX. Atq; ex hiſce patet ſummam eſſe neceſſitatem Regenerationis , qvæ fit per aqvam & ſpiritum Infantibus pariter & adultis, illis qvidem pro conſeqvenda fide ; his verò pro eadem confirmanda ; qvam tamen tantam non facimus, ut ubi haberi non poteſt, & abeſt contemptus, privet homines ſalute , cum contrarium appareat in Latrone, Luc. 23, 40. 41. Qvâ de re & aliis hunc Articulum concernentibus, copiosè agitur in Locis communibus, ad qvos etiam Lectorem amandamus.

LX. Chriſtus verò probaturus immotam veritatem ſuæ theſεως de neceſſitate Regenerationis ex oppoſitis argumentatur hunc in modum :

v. 6. τὸ γεγεννημένον, ἐκ τῆς σαρκὸς, σάρξ ἐστι· καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος πνεῦμά ἐστι.

LXI. In hac oppoſitione appellatione Carnis non venit intelligenda carnea moles & ſubſtantia corporis noſtri ; ſed totus homo, qvalis eſt ex primâ nativitate ex parentibus poſt lapſum. in qva ſignificatione complectitur vox carnis carentiam juſtitiæ originalis , depravationem naturæ & reatum iræ divinæ, mortis & damnationis æternæ : Atq; ita totum hominem cum omnibus naturalibus viribus, tam corpore, qvam anima, deſtitutum ſpiritu, ſeu irrigenitum ; qvo ſenſu accipitur eadem vox Gen. 6, 3. Eſ. 40, 6. Rom. 7, 5. 18. & 8, 13. Contra vero voce Spiritus denotatur non anima humana , ut vult Cyrillus , errans communem errorem , ac jam dudum proſcriptum de animæ creatione, non vero generatione : ſed totus homo regeneratus, qvi ablato & remiſſo reatu propter Chriſti meritum , ac imputatâ per fidem juſtitiâ Chriſti, Rom. 10, 4. acceptatur ut filius & hæres Dei, hoc eſt, cœleſtis & ſpiritualis efficitur , Rom. 8, 15. 16. ac in

qvo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

qvo Caro depravata incipit per Spiritum mortificari, & ſpoliata caro incipit novis ſpiritualibus donis renovari ; utut non ſine luctâ, Gal. 5,17. uſq; dum in alterâ vitâ, evaneſcente ultimo hoſte, 1. Cor. 15,26. omnia conſummata fuerint, qvæ tam mortificationem qvam renovationem concernunt ; unde etiam reſurrectio vocatur παλιγγεννησία, Matth 19,28.

LXII. Et ſic ponitur heic uterq; terminus per Metonomiam Subjecti pro Adjuncto, ſeu Abſtracti pro Concreto, dum Caro ponitur pro carnali, & Spiritus pro ſpirituali; qvo utroq; modo loqvendi utitur Paulus, priore qvidem locis modo allatis, poſteriore vero Rom. 7,14. 1. Cor. 2,15. Gal. 6,1.

LXIII. Convenit igitur hoc dictum CHRISTI qvoad ſenſum cum illo Pauli, 1. Cor. 15,46. [qvicqvid tandem videatur Piſcatori, nodum heic in ſcirpo qværenti, ac dicta ab Apoſtolo ſecundum qvid, de corpore animali & naturali, prout habet in ſe cauſſam corruptionis, nimirum peccatum, ſumenti, pro ſua ſophiſtica, tanqvam ſimpliciter dicta de corpore animato & naturali] ex qvo etiam ſimpliciſſimè explicari & illuſtrari poteſt hunc in modum : ut illa verba, qvod genitum eſt ex carne caro eſt, idem ſint ac ſi dixiſſet Chriſtus, qvod genitum eſt ex homine carnali [qvales ſunt omnes homines ratione generationis etiam aliàs ſanctiſſimi] eſt homo carnalis : ſeu qvod genitum eſt ex primo Adamo, uno illo homine carnali, ex qvo omnes homines carnalem originem trahunt, qvi per lapſum amiſſa originali juſtitiâ, ſanctitate, ſapientiâ, felicitate, beatitudine, & immortalitate, qvibus totus ſpiritualis erat, qvalis ſi manſiſſet conſimiles filios generaſſet, factus eſt injuſtus, impius, ſtultus, damnatus, maledictus, mortalis, totusq; carnalis, eſt vetus Adam, talis ſc. pulvereus, qvalis ille pulvereus, nihil prorſus nec in corpore, nec in animâ habens, propter qvod, aut cujus viribus regnum Dei videre aut ingredi qveat : Verborum verò contra, qvod genitum eſt ex Spiritu Spiritus eſt, ſenſus ſit, qvi generatur ex JESU Chriſto, unicô illô homine ſpirituali & Adamo noviſſimo, ejuſq; Spiritu, hic eſt Spiritus ſeu ſpiritualis homo, qvi eſt in Chriſto nova creatura, 2. Cor. 15,17. indutus Chriſto, Galat. 3, 37. & inhabitatus à Chriſto, Eph. 3,17. exiſtens templum, 2. Cor 6,16.

D Ebr. 3,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

Ebr.3,6.& membrum Chriſti, 1. Cor. 12, 12. ac palmes in vite Chriſto, Joh.15,5. adoptatus ita ad vitam æternam, ac futurus tandem talis perfectus cœleſtis, qvalis ille cœleſtis eſt.

LXIV. Dum verò vocamus heic Chriſtum, hominem ſpiritualem, non hoc volumus, Chriſtum carnis noſtræ ſubſtantiam non aſſumſiſſe, cum contrarium manifeſtum ſit ex ſcripturâ, Joh.1,4 Rom.1,3. & 8,3. 1.Tim.3,16. 1.Joh.4,2. & 2.Epiſt.v.7. ſicut neq; corpora noſtra mutantur in Spiritum aut anima ab omni prorſus peccato liberatur: ſed hoc innuimus Chriſtũ non comprehendi ſub primo membro hujus oppoſitionis, verum ſub ſecundo. Nam qvamvis Chriſtus veram habeat carnem, verâqve ex carne natus ſit, prout voce carnis, ſignificatur ipſa ſubſtantia humanæ naturæ: tamen eo ſenſu, qvo caro heic accipitur, ſolus Chriſtus [non vero cum eo unâ Maria, ut volunt Pontificii] neq; ex carne natus eſt, conceptus ſcil. non naturali propagatione, ſed ex Spiritu ſancto, mundante & ſanctificante carnem noſtram, qvam aſſumpſit, nec caro ſeu carnalis eſt, ſed ſpiritualis, 1.Corint.15,45. nobis ſimilis in omnibus excepto peccato, Phil.2,7.8. Heb.2,17. & 4,15. 2.Cor.5,21. 1. Pet.2,22. ut ita ſit Chriſtus θεάνθρωπος & talis perſona, Filius Dei non adoptivus, qvemadmodum nos, ſed naturalis, in qvo dilectô nos gratis ſibi acceptos effecit Deus, Eph.1,6.

LXV. Sed nec patrocinatur cauſſæ Calviniarum contendentium aqvam & ſpiritum, v.5 eſſe ταὐτὸ, qvod Chriſtus heic propter ἀντίθεσιν faciat tantum mentionem Spiritus omiſsâ aqvę repetitione; qvum unum includere, non ſit ſtatim excludere alterum: niſi fortè voluerint eodem argumento evincere Baptiſmum penitus exterminandum eſſe, propterea qvod, qvum Chriſtus dixiſſet Matth.16,16. Qvi crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, poſtea, præteritâ Baptiſmi mentione, ſubjungat; qvi non crediderit, condemnabitur.

LXVI. His præmiſſis, pro illuſtratione & confirmatione aſſertionis, progreditur Chriſtus ad refellendam argumentationem Nicodemi ab impoſſibili, cauſſam impoſſibilitatis removens à re, & in perſonæ eam intelligere non valentis incapacitatem conferens: cujus refutationis conſeqvens præmittitur tali verborum formâ: v.9.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

v. 7. Μὴ θαυμάσῃς ὅτι εἶπόν σοι: δεῖ ὑμᾶς γεννηθῆναι ἄνωθεν.

LXVII. Hæc verba nonnulli referunt ad antecedentia, hoc modo: audiviſti, Nicodeme, qvare neceſſaria ſit omnibus Regeneratio, nempe qvia qvod natum eſt ex carne, Caro eſt, ac propterea ita corruptum, ut non poſſit, niſi regeneratum fuerit ex aqva & Spiritu, videre regnum Dei: hinc igitur intelligere potes te non debere mirari, qvod dixi, oportet vos generari ἄνωθεν. Uſitatius verò & commodius illa connectuntur cum ſeqventibus, ita ut illis, additâ ſubjectâ ſimilitudine, ſtuporem Nicodemo, ex rei qvam audiebat inſolentia conceptum eximere voluerit Chriſtus. Obſervatione autem dignum eſt Chriſtum dicere: δεῖ ὑμᾶς γεννηθῆναι ἄνωθεν. Iſtis enim verbis ſeipſum ſolum ab iſta neceſſitate excludit, qvod non ita ſit natus ex carne, ut opus habuerit Regeneratione, ſicut reliqvi mortales, in peccatis concepti & nati, includit verò Nicodemum, virum doctum in Lege & Prophetis, ac Phariſæum, eumq; annumerat reliqvis omnibus hominibus.

LXIIX. Scrupulum igitur illum, qvi videbatur in animo Nicodemi adhuc reſtare, propter qvem Regenerationem ſpiritualem credere nondum valebat, qvia ſc. oculis illa videri, aut ſenſibus & ratione qvomodo fiat, comprehendi non poteſt, manente utpote eodem corpore poſt Regenerationem, qvod ante eam, & animâ non exiſtente ſine peccato in renatis, remoturus Chriſtus, adducit, pro antecedente ſuæ refutationis, ſimilitudinem à vento deſumptam in talia ſolutus verba:

v. 8. Τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ, καὶ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις, ἀλλ᾽ οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται, καὶ ποῦ ὑπάγει· οὕτως ἐστὶ πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πνεύματος.

LXIX. Hac ſimilitudine vult Chriſtus docere, qvod, qvemadmodum in qvotidianis & Phyſicis rebus in hac vitâ corporali multa ſunt & fiunt, in qvibus virtutem Dei extare inficiari nemo poteſt, qvæ tamen non negamus eſſe, propterea qvia ratio eorum occulta nobis eſt, & modum ſenſibus ac ratione comprehendere non poſſumus: ita multo magis abſurdum eſſet negare ſpiritualem generationem propterea qvod in cenſus non incurreret, & ratione comprehendi non poſſet.

LXX. Similitudo talis eſt per πρότασιν & ἀπόδοσιν. Qvemadmodum ſpiritus ſeu ventus, qvi qvaſi medium eſt inter corporalia & ſpiritualia (perinde ut Gen. 8,1 Exod. 15, 10. & 11, 31. Amos 4,13. Jon. 1,4. & 4,9.) ubi vult ſpirat, ac liberè, nemine impediente, omnes orbis partes perflat, & vocem ejus, ſtridorem, ſonitum, & ſibilum audis, ſed neſcis unde veniat, ac oriatur, & qvo vadat, ſeu ubi terminetur, non tam ratione cauſſæ primæ, qvæ Deus eſt, ejuſq; voluntas, qvam ratione loci determinati, ex qva parte alicujus cardinalis loci incipiat, & in qvâ parte oppoſitâ deſinat: talis etiam eſt ratio, qvomodo aliqvis dicitur natus ex ſpiritu, ſimileq; qvoddam occurrit in Regeneratione, qvæ facta poteſt animadverti ex motibus ſpiritualibus, qvomodo autem fiat, ſciri non poteſt. Nam Spiritus S. non ſecundum dignitatem & merita prædiſpoſitos & abſolutè electos, ſed qvos vult, qvando vult arcanis ſuis afflatibus adſpirat, dividens dona ſua ſingulis ſicut vult 1. Cor. 12, 4. (vult autem ſpirare in omnibus vocatis, externam diſciplinam præſtantibus, id eſt, verbum Dei audientibus, legentibus, repetentibus, meditantibus, nec obicem ſibi curis mundanis aut peccatis regnantibus aliove modò ponentibus) cujus Regeneratio non ſenſibus carnis, nec ratione humanâ, ſed ex efficacia ſpiritus liberè moventis & agentis regeneratos percipitur, Rom. 8, 13. ita ut ex fructibus ſpiritus præſentia & efficacia cognoſcatur Galat. 5, 22. Ipſis etiam renatis ſæpê non intelligentibus, unde motus & afflatus Spiritus ſubitò ſæpe veniant, & ad qvem eventum ſpiritus illos ita agat.

LXXI. Auguſtinus, cum aliis qvam plurimis, per Spiritum, in hoc verſu, intelligit utrobiq; Spiritum S. qvod ſpiritus vocabulum nunqvam in N. T. pro vento accipiatur, & in V. T. non niſi ſine Articulo: præterqvam qvod omnia & ſingula magis qvadrarent in Spiritum S. cujus tunc vocem ex ore Chriſti potius audivit Nicodemus, qvam ventum, qvi propriè voluntatem & vocem non habet, neq; venire aut vadere dicitur, & qvi non videtur tunc temporis perflaſſe cubiculum, ubi Chriſtus & Nicodemus colloqvebantur. Et ita hoc ſenſu volunt hæc verba continere

tinere

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

tinere Exegeſin illorum verborum, qvod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.

LXXII. Verum qvo minus huic ſententiæ, qvæ alias per ſe orthodoxa eſt, noſtrum calculum addere poſſimus, impedit imprimis particula οὕτως, qvæ monſtrat Chriſtum exemplo in περι-πτώσεως uſum fuiſſe, qvod ab eo cujus cauſsâ effertur, oportet eſſe diſtinctum. Utut igitur in N.T. non occurrat alibi hæc vox pro vento, ſufficit tamen qvod non modo non ſit iſta acceptio planè aliena ab illa voce, ſed & magis propria qvam illa, qvâ ſumitur pro Spiritu S. id qvod Verbi à qvo deſcendit uſus ſatis ſuperqvè demonſtrat, Matth.7,25.27. Luc.12,55. Joh. 6, 18. Act. 27, 40. Apoc.7,1. Unde etiam πνοὴ, vox ab eadem radice deſcendens, pro vento ſeu flatu occurrit, Act.2, 2. Nec obſervatio illa perpetua eſt, qvod ſemper Articulo deſtituta in V.T. apud LXX. Interpretes occurrat vox πνεύματος ſumpta pro vento, cum contrarium videre liceat, Exod.15,10. 1.Reg.19,11. Pſ. 146, 18. Eccleſ. 1, 6. Ezech.27,26. & 37, 9. & paſſim eadem vox, tam in Veteri qvam N. T. ſine Articulo nulloq; veſtita Epitheto pro Spiritu S. ponatur. Reliqva autem omnia per Metaphoram, phraſi etiam ſcripturæ, qvadrare in ventum (qvi forte etiam tunc flabat cum vehementia, præterqvam qvod, non audis, de alio etiam tempore qvam de præſenti intelligi poſſit) tam manifeſtum eſt, qvam qvod manifeſtiſſimum.

LXXIII. Maldonatus tandem per πνεῦμα intelligit animam, perinde ut Gen.6,3.7. & 15. Job.12,10. Pſ.77,4. & 78,39. ac paſſim alibi, qvam acceptionem putat aptiſſimam eſſe, qvaſi Chriſtus ſumpto à vita corporali exemplo ad vitam generationemqve ſpiritualem argumentaretur; qvæ explicatio Adamo à Contzen & Tarnovio videtur ineptiſſima, qvod in animam non qvadrent illa, qvæ heic dicuntur, illâ ſcil. unâ unum corpus animante, præter qvam qvod multa animantia ſint muta, ſatisqvè conſtet tum unde veniat illa, tum qvò vadat.

LXXIV. Qvemadmodum verò Nicodemus primum, ubi putabat Chriſtum loqvi de Carnis nativitate repetenda, objiciebat ejus rei impoſſibilitatem: ita nunc intelligens illum de alia

qvam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

qvam carnis nativitate deſerere, qvæ fieret ex aqva & Spiritu &c. qvaſi in caliginem qvandã inductus ſtupet, & de modo qvo iſta, ſuo adhuc rationali judicio impoſſibilia, fieri qveant, interrogat. Unde eum Euangeliſta, ſecundò objicientem & interrogantem, introducit diſce verbis:

v.9. Ἀπεκρίθη Νικόδημος καὶ εἶπεν αὐτῷ, πῶς δύναται ταῦτα γενέσθαι.

LXXV. Non dicit Nicodemus *hoc* ſed in plurali hæc, qværens de omnibus, de qvibus Chriſtus diſſeruerat, qvod ſc. oportebat homines generari ex aqva (ex qvâ bullas citiùs qvam homines naſci deprehendebat, ut loqvitur Lutherus in Poſtil. Eccl. pag. 597.) & ſpiritu; & qvod tali modo generatus efficeretur Spiritus ſeu ſpiritualis, qvodq; hæc Regeneratio inconceptibilis eſſet, perinde ut venti flatus; ingenuè ſimul profeſſus ſe non poſſe aſſeqvi, aut intelligere qvomodo iſta fieri aut ita ſe habere poſſent. Ad qvæ interim non obſtinatè negando reſpondere pergit, ſed ignorando interrogat, ac animi ſui anguſtias ſcrupulosq; aperiendo ſe de iis erudiri petit. Et hanc Nicodemi, ceu hominis docti, ac in Lege & Prophetis aliàs pro ſuo inſtituto verſatiſſimi, ſtupiditatem in rebus divinis & ad ſalutem neceſſariis, tam diligenter exprimit Euangeliſta, ut humana ratio, utut literis imbuta confunderetur, ac ſtultitiæ in rebus argueretur divinis, monſtrareturq; omnem cogitationem captivandam ad obſeqvendum Chriſto, 2.Cor.10,5.

LXXVI. Chriſtus verò reſponſurus ad hanc ulteriorem, in dicta à ſe Nicodemi inqviſitionem, primò cum admiratione tria reprehendit in Nicodemo & cæteris Phariſæis ac Judæis, ignorantiam ſcil. incredulitatem, & tarditatem, ac dein rem ipſam petitam declarat.

LXXVII. Orationem Chriſti, qvâ Nicodemi perſtringit ignorantiam tali verborum formâ profert Euangeliſta:

v.10. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ, σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραὴλ καὶ ταῦτα οὐ γινώσκεις.

LXXIIX. Hæc verba non tam ſunt exprobrantis & taxantis qvam admirantis & dolentis qvod res rationesq; Iſraelis, populi iſtius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

li iſtius Dei electi in tali jam verſaretur cardine, ut non tantum
plebei, ſed ipſi etiam præcipui Doctores ac Magiſtri ignari eſ-
ſent veræ & ſalutaris doctrinæ & qvidem ipſorum inprimis
principiorum, de corruptione ſcil. & depravatione naturæ hu-
manæ & Regeneratione propterea omnino neceſſariâ, de qvâ
doctorum ignorantiâ etiam conqveritur Deus, Eſ.56,11. Jer.50,6.
LXXIX. Et certè, non poterat non hæc doctrina nota fuiſſe
Nicodemo & reliqvis Phariſæis, ſi alias invocato Numine divino
juſtâ diligentia Moſen & Prophetas ſcrutati fuiſſent, qvũ in illis
ſemina iſtius doctrinæ occurrant manifeſtiſſima. Qvoties enim
Moſes & Prophetæ corruptionem humanæ naturæ deplorant?
Gen.6,5. & 8,2. Eſ.1,6. &c. Qvoties agunt de Regeneratione?
Deut.30,6. Jer.33,39. Ez.11,19. & 36,26. Qvoties de ſalutari Rege-
nerationis fonte vaticinantur? Ez.36,25. Zach.13,1. ut taceamus
Typos ejuſdem, qvi occurrunt Gen.7. Exod.14. 2.Reg.5. Ve-
rum Phariſæi, aliis curioſis qvæſtionibus & diſputationibus oc-
cupati, ea qvæ in doctrinâ Eccleſiæ præcipua fuerunt ſuis tradi-
tionibus obſcurarunt, ſepeliverunt, verumq; ſenſum ſcripturæ
amiſerunt: poſito ſcil. velamine, juſto Dei judicio, ſuper cor eo-
rum, 2.Cor.3,15 ut ita videntes non viderint, & audientes non
intellexerint, Eſ.6,9.
LXXX. De incredulitate vero Nicodemi & Phariſæorum
in hæc ſolvitur verba Christus:

v.11. *Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ὅτι ὃ οἴδαμεν λαλοῦμεν καὶ ὃ ἑωρά-
καμεν μαρτυροῦμεν, καὶ τὴν μαρτυρίαν ἡμῶν οὐ λαμβάνετε.*

LXXXI. Heic loqvitur Chriſtus, magnâ cum aſſeveratione,
de doctrinâ ſuâ conſideratâ qvoad rem, & ita certiſſimâ, qvia
non fabulas narravit, nec conjecturali præſumptione ad mo-
dum eorum, qvi propriam gloriam qværunt, Joh.1,10. & de cor-
de ſuo prophetant, Ez.13,2. nonnulla protulit, ſed illa loqvebatur
qvæ ſcivit, & hæc teſtabatur qvæ audiverat, cap. 8, 38. & 15,15.
Matth.11,3. Col.2,3. qvi tanqvam oculatus teſtis unus plus vale-
bat qvam auriti decem; ut propterea mirum ſit Nicodemum,
qvi ipſum profitebatur Magiſtrum miſſum à Deo, non fidem ha-
bere illius teſtimonio, ſed tentare, contra naturam teſtimonii,
illa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

illa ratione rimari, & ſcire qvæ fide ſolâ debebat apprehendere; pertinente ſcil. teſtimonio ad fidem firmandam, non vero ad ſcientiam ingenerandam, ac permanente Chriſto fideli, ſi vel maximè non crederet Nicodemus, 2.Tim.2,13. Rom.3,3. & 9,6.

LXXXII. Loqvitur autem Chriſtus in plurali de ſe pariter & Nicodemo. De ſe qvidem dum dicit, ſcimus, loqvimur, vidimus, teſtamur non tam ſive ſylleptice, aut ad Johannem B. aut alios Prophetas, idē ex afflatu Spiritus & revelatione atteſtantes & ſimiliter conqveſtos Deut. 9. Eſ. 30, 9. 10 & 53, 1. reſpiciens: ſive communiter loqvens de ſe & omnibus ex Spiritu S. renatis ac bonis & fidelibus teſtibus: ſive de ſe ſolo, vel figurate majoris qvaſi authoritatis gratia: vel propter duplicem qvam illi, ex Scholaſticis, ineptè tribuit Alphonſus Salmeron notitiam, alteram ſcil. creatam in anima humana, alteram increatam, qvatenus Deus erat; qvam propriè & myſticè Patrem & Spiritum S. ſibi adjungens perinde ut Joh. 8,16. 17. & 16,32. Luc. 4, 18. qvalis pluralis numerus etiam occurrit Gen.1,26. & Joh 14,23. qvos ſecum teſtificantes facit, qvo in ore duorum vel trium teſtium ſtabile ſit omne verbum Deut. 17, 6. & 19, 15. Matth. 18, 16. Joh. 8, 17. 2. Cor. 3, 1.

LXXXIII. Qvidam ſubtiliter magis qvam ſolidè in Verbis ſcimus, loqvimur & teſtamur, qværunt Myſtirium Trinitatis, ac in voce teſtimonij unitatem eſſentiæ, juxta illud, 1. Johan. 5, 7. non attendentes qvartum Verbum etiam addi, nempe vidimus; niſi qvis forte voluerit per duo intermedia denotari duas in Chriſto naturas, ſimili ſubtilitate.

LXXXIV. De Nicodemo verò loqvitur Chriſtus in Plurali, non qvaſi plures cum illo venerant ad Chriſtum, qvod vult Cajetanus, deſtitutus hac in parte tum infallibili ſcripturæ, tum probabili Antiqvitatis teſtimonio: Nec tam, ſive ne Nicodemum omninô confunderet; ſive in genere reſpiciens, aut ad omnes incredulos & pervicaces homines, qvibus nullum ad credendum teſtimonium ſatis eſt: aut ad omnes tales Judæos; qvam ad omnes Phariſæos & Magiſtros, qvorum Perſonam gerebat Nicodemus, id qvod ex ejus ſalutatione etiam videre

eſt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

eſt, unde & heic dicit Chriſtus λέγω σοι. Hi enim, præ reliqvis Judæis, teſtimonium Domini Jeſu, per ſigna & prodigia ſe manifeſtè Meſſiam comprobantis, non ſolùm non recipiebant, ſed & calumniabantur præterea, Matth. 12, 24; Unde inexcuſabiles redditi ſunt, Joh. 15, 22. Lectio autem Chryſoſtomi : Teſtimonium noſtrum nemo accipit, in nullis exemplaribus Græcis obſervata eſt hactenus à qvoqvam.

LXXXV. Sed & videntur hæc verba tacitam habere collationem, ac ſi diceret Dominus : Vos Phariſæi, qvod neſcitis loqvimini, & qvod non vidiſtis, teſtamini, & tamen vobis, tanqvā divinitus miſſis Doctoribus, creditur: at nos, qvod ſcimus loqvimur, & qvod vidimus teſtamur, nobis tamen nō creditur. Qvid verò indignius qvam falſum teſtimonium amplecti pro vero, & verum cœleſteq; tanqvam falſum repudiare?

LXXXVI. Tarditatem tandem ingenii Nicodemi, reprehenſurus Chriſtus ita infit:

v. 12. εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν καὶ οὐ πιστεύετε : πῶς ἐὰν εἴπω ὑμῖν τὰ ἐπουράνια πιστεύσετε?

LXXXVII. Perinde ut Chriſtus proximo verſu egit de doctrinâ ſuâ qvoad rem conſideratâ, ita hoc de eadem qvoad modum prædicationis, loqvendi explicandiq; diſſerit, qvem vocat terrenum, captui ſc. terreſtrium hominum accommodatum, non verò cœleſtem & nimis ſublimem; perinde ut Paulus teſtatur Rom. 6, 19. Gal 3, 15. ſe humano more loqvi propter infirmitatem auditorum.

LXXXIIX. Divina enim Majeſtas ad noſtram infirmitatem ſe dimittit in verbô ſuô, cœleſtemq; ſapientiam non lingvis Angelorum, qvæ captum humanæ mentis, etiam Spiritu S. illuſtratæ, in hâc vitâ excedunt, proponit, ſed loqvitur terrenâ, terreſtri ſcil. ſimplicitate, non cœleſti magnificentiâ de ſummis myſteriis, accommodans ſe ad infirmitatis noſtræ captum, ut eâ Spiritu illuſtrante utcunq; capere & credere poſſimus, ad modum Nutricis demittentis ſe ad greſſus infirmiores infantuli.

LXXXIX. Hinc Chriſtus, qvi omnem movens lapidem ut homines ad reſipiſcentiam alliceret, vitam ſuam pro ingeniorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

varietate inſtituens, Matt. 11, 19. Luc. 7, 34, &c. tum aliàs, per univerſum ſuum miniſterium, doctrinam de ſe & regno ſuo, pro captu auditorum, propoſuit per Parabolas, Marc. 4, 33; tum etiam ſub ejuſdem initium in templo Hieruſolymitano publicè docens, & cum Nicodemo poſt privatum inſtituens colloqvium ſimilitudinibus partim ſcriptis, partim non ſcriptis, deſumptis à rebus terreſtribus uſus eſt, ad qvas heic reſpicere videtur, etiam juxta obſervationem Bezæ, qvi monet in uno exemplari Græco pro οὐ πιστεύετε legi οὐκ ἐπιστεύσατε non credidiſtis in ſignificatione præteritâ, & in alio qvodam pro πιστεύσετε πιστεύσητε, eâdem tamen heic, ipſo judice, manente ſententiâ; qvam tamen doctrinam occæcati Judæi, & propterea de ea minus ſolliciti, ſecus qvam fuerunt Diſcipuli, Matth. 13, 10. vel adeò ſimpliciter etiam propoſitam, non perceperunt.

XC. Sed & hæc verba de externo miniſterio utiliter & ſimpliciter intelligi poſſunt, qvod ſc. propter infirmitatem noſtram cœleſtia illa beneficia & dona non in cœleſti majeſtate, ſed ſub involucris terrenis, per externum ſcil. Miniſterium Verbi & Sacramentorum, qvæ res terrenæ ſunt, nobis aliàs uſitatæ & familiares, offerat, exhibeat, diſtribuat, applicet, & obſignet Chriſtus, ita ut Euangelium prædicatum & auditum ſit potentia Dei ad ſalutem omni credenti, Rom. 1, 16. per lavacrum aqvæ Chriſtus mundet & ſanctificet Eccleſiam, Epheſ. 5, 26. ac panis, qvem frangimus, ſit communio Corporis Chriſti, & poculum benedictionis, cui benedicimus, ſit communio Sangvinis Chriſti, 1. Cor. 10, 16. Unde per ἐπίγεια qvidam heic intelligunt ea, qvæ, his in terris, in Eccleſiâ militante fiunt; ἐπουράνια vero accipiunt pro iis, qvæ erunt in Eccleſiâ triumphante, ubi facie ad faciem DEUS videbitur, juxta illa qvæ ſunt, 1. Cor. 13, 9. 12.

XCI. Alii vocabula, terrena & cœleſtia, ad materiam doctrinæ referunt. Et vel per ἐπίγεια mera naturalia, qvalia fuerunt de vento, v. 8. & occurrunt præterea, Job. 38, 4. 5. 6. ſeq. per ἐπουράνια ſpiritualia & illa qvæ ad ſalutem creditu ſunt neceſſaria; imprimis verò Spiritum S. qvi per ventum ſignificatur, ac ex Spiritu factam Regenerationem intelligunt: vel ἐπίγεια ſpiritualem per

Bapti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

Baptiſmum Regenerationem appellari exiſtimant ; ἐπουράνια verò Verbi Divini generationẽ æternã, ad cujus comparationem illa terrena dici meretur, qvæ in terra etiam perficitur, ac hominibus ſupra terram datur: vel ἐπίγεια exponunt de facilioribus, qvæ lactis nomine veniunt Apoſtolo, 1. Cor. 3, 2. Heb. 5, 12. 13. ἐπουράνια vero de ſublimioribus myſteriis, qvalia ſunt, qvæ habet Apoſtolus Epheſ 1. 2. & 3. cap. & Col. 1. Verum hos falli cenſet Hemmingius, contendens Græcas ipſas voces omnem ambiguitatem tollere, ac manifeſtê monſtrare ea, qvæ heic dicuntur, non ad materiam, ſed ad loca diverſa, & ſtatus hominum diverſos ac ita formam doctrinæ referenda eſſe, videlicet ad terram in qvâ habitamus, dum hoc naturale corpus circumferimus, & ad cœlum, ad qvod adſpiramus. Ἐπίγεια enim dici vult qvaſi τὰ ἐπὶ τῆς γῆς γενόμενα, id eſt, qvæ heic in terra fiunt, & qvorum uſus Eccleſiæ militanti in hâc vitâ eſt neceſſarius, etiamſi, ſi materiam ſpectemus, planè divina ſint : ἐπουράνια verò ea ſtatuit eſſe, qvæ in cœlo gerentur in Eccleſia triumphante & qvorum perfecta & perpetua fruitio erit, tam ratione cognitionis, 1. Cor. 13, 9. 12. qvam bonorum copiæ, 1 Cor. 2, 9. in alterâ vitâ.

XCII. Hunc in modum humiliatum prius Nicodemum pergit porrò Chriſtus informare de propoſitâ Qvæſtione, in talia, divinis myſteriis pleniſſima, ſolutus verba:

v. 13. Καὶ οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ.

XCIII. Hæc verba aliter atq; aliter connectunt cum prioribus Doctores. Chryſoſtomus cum Theophylacto, nimis remotè, putat hæc cunjungenda cum illis verbis verſus ſecundi: ſcimus te à Deo veniſſe Magiſtrum, qvaſi Chriſtus heic corrigeret Nicodemi ſententiam de ſe, oſtendens ſe non eſſe è numero Prophetarum, qvi, de terrâ exiſtentes, à Deo miſſi fuerunt, & qvorum nullus in cœlum aſcenderat.

XCIV. Alij exiſtimant confirmationem hanc eſſe ejus ſententiæ: niſi qvis renatus fuerit ex aqvâ & Spiritu, v. 5. Regenerationem ſc. qvâ unum cum Chriſto reddimur per fidem, ipſiusqvè juſtitia imputatur nobis & reputatur noſtra, eſſe omnibus ingredi regnum cœlorum volentibus neceſſariam, propterea qvod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

ſolus Chriſtus, ſeu Meſſias, & præter illum nemo, ſuis viribus naturalibus, aſcendit in cœlum, de qvo etiam deſcendit.

XCV. Alii putant Chriſtum heic proponere ænigma Theologicum, ſeu cœleſte aliqvid, non verò terrenum hoc ſenſu: Eſt qvidam qvi filius hominis vocatur; Is licet in terris natus ſit, de cœlo tamen deſcendit. Utut vero maximè deſcenderit de cœlo, eſt tamen & manet in cœlo, & licet maneat in cœlo, tamen aliqvando eò recipietur, ac præter ipſum nemo eſt, qvi in cœlos aſcendit. Hic ergò, ô Magiſter Iſraëlis, ſapientiæ tuæ vires, ſi lubet, experire, atq; hæc cum tuâ ratione, ſi potes, concilia: ſi nobis, intelligentiæ tuæ beneficio, hunc nodum diſſolvere & hoc tantum myſterium explicare poteris, te ſanè & Rabbi & Magiſtrum Iſraëlis ſalutabimus.

XCVI. Qvanqvam autem hæc omnia & ſingula ſana ſint & orthodoxa, ſcopum tamen Chriſti, ſi paulò diligentius attendimus, invenimus illum Nicodemum hiſce verbis commonitum velle, qvam graviter peccet, qviſqvis demum fuerit, qvi filio hominis Regenerationis doctrinam explicanti fidem habere detrectat, etiam ſine omni ulteriore demonſtratione modi. Filius enim hominis is eſt, qvi ſolus naturâ jus habet aſcendendi in cœlos, ùt ipſi eapropter promptum ſit facilè pervidere ſecretiſſima qvæq; Dei conſilia & cogitata Matth. 11, 27. Joh. 1, 18. Phil. 2, 6. Nec erat, qvod Nicodemus viliore Filij hominis habitu offenderetur, ac inde colligeret fruſtra conſuli Filium hominis de abſtruſiſſimis Regni cœlorum myſteriis. Nam qvo vilior erat Filij hominis ſtatus, eò majorem merebatur ejus de Regeneratione doctrina fidem; Filius enim hominis, qvi in cœlum aſcendit, de cœlo deſcendit, ut hæc hominibus revelaret, permanens tamen in cœlo; id qvod omnem tranſcendit rationem in immenſum, adeò ut qvidnam hoc ſit, ratio non capiat, ut Lutherus loqvitur in Poſtil. Eccl. 599.

XCVII. Et hinc explicaturi hunc Filii hominis adſcenſum & deſcenſum, ac illius tamen permanentiam in cœlo, variè ſe torqvent varii. Pro genuina verò horum verborum explicatione, ante omnia attentendum venit, qvid per Cœlum, qvid

per

per aſcendere , deſcendere & eſſe, & tandem qvid per filium hominis heic intelligi debeat.

XCIIX. Cœli igitur vox heic non ſumitur propriè, ſive pro ætherea regione ut Gen. 15,5. Eſ. 14, 13. ſive pro regione elementari ſeu aërea, Pſ. 8, 9. Deut. 4,87. Job. 2, 12. ſive pro ætherea & aërea regione ſimul: ſed metaphoricè pro Deo ipſo ut Matthæi 21, 25 & 23, 22. Luc. 15, 21. & ſpirituali illo regno gloriæ ac felicitate, in qva Deus cum ſanctis Angelis & beatis Spiritibus vivit & regnat, perinde ut infra v. 31. & cap. 6, 38. Et hinc per aſcenſum, deſcenſum & eſſe, non intelligitur localis aliqvis motus à loco in locum, vel ſubſiſtentia in aliqvo πȣ̃ circumſcriptivo, ſed aſcenſus ſignificat Majeſtatem & gloriam ineffabilem & inviſibilem, deſcenſus verò exinanitionem & manifeſtationem, perinde ut Deus dicitur deſcendere Gen. 11,5. & 18,21. Exod. 19,20. Pſ. 18,1. qvod certo aliqvo ſigno ſeu opere ſuam præſentiam manifeſtet in terra, qvi cœlum & terram alias implet; eſſe autem ſignificat immutabilitatem. Hæc autem omnia dicuntur de Filio hominis, qvæ appellatio nec per Synecdochen integri, ut qvidam imitatores Zvinglij volunt, explicanda de parte, nec de ſolâ humanâ naturâ, ſed totum Chriſtum θεάνθρωπον deſignat.

XCIX. Et hæc denominatio Meſſiæ deſumpta videtur ex Dan. 7,13. ubi Perſonam Meſſiæ iſto nomine deſcribit Propheta, qvam appellationem appropriatè ſibi accommodavit Chriſtus, & qvâ reſpicitur non tam ad hoc, qvod Chriſtus ſit ſine Patre ratione divinitatis, qvam eâ monſtratur Chriſtum eſſe verum hominem, conceptum & natum ex homine, & qvidem exinanitum, ac formâ ſervi indutum; cum contra excellentes & clari viri, exiſtentes in magnâ dignitate & authoritate vocentur non Filij hominis, ſed filij viri. Sed & hæc ratio denominationis addi poteſt, qvod Ezechiel licet obſcurus, abjectus & contemptus eſſet; tamen qvia ad publicum in Eccleſiâ officium & miniſterium à Deo miſſus erat, ſemper ab eo compellatur Filius hominis, ut hac ratione officium etiam Chriſti præfiguraretur qvâ de re loqvitur Deus Eſ. 42,1.

C. Hiſce terminis explicatis non uſq; adeo difficile erit ipſas

pro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

Propoſitiones: Filius hominis adſcendit in cœlum: Filius hominis deſcendit de cœlo: Filius hominis eſt in cœlo: intelligere, variasq; variorum de iis ſententias dijudicare.

CI. Qvidam igitur adſcenſum illum, de qvo heic loqvitur Chriſtus in primâ Propoſitione dum dicit: Filius hominis adſcendit in cœlum, intelligunt de aſcenſione, qvæ ſeqvuta eſt reſurrectionem, qvam deſcribunt Marcus 16, 19. Lucas 19, 51. & in Actis cap. 1, 9. una cum conjuncta & ſubſeqvente gloria ipſius, tanqvam Capitis conceſſuri ad dexteram Patris, Act. 2, 33. 34. & utilitate inde ad nos ejus membra redundante, qvibus viam ad cœlum, iſta adſcenſione dedicavit & conſecravit, Heb. 10, 20. Qvorum alii volunt præteritum ἀναβέβηκεν heic poni pro futuro more Prophetico, perinde ut Eſ. 9, 6; alii pro præſenti & continuo actu, cujus fructus ad membra redundet.

CII. Excluſivam vero, de nemine aſcendente in cœlum præter filium hominis, explicant vel ineptè, ratione temporis, qvod ſcil. nemo hominum, ante aſcenſionem Chriſti viſibilem, adſcenderit in cœlum, cum contrarium conſtet ex Exemplis Enochi Gen. 5, 24. Eccl. 44, 1. & 49, 16. Heb. 11, 5. ac Eliæ 2. Reg. 2, 11. vel etiam non incommode hunc in modum, qvod ſolus Chriſtus propriâ facultate & potentiâ naturali propriisq; meritis aſcenderit ſupra omnes cœlos, Eph. 4, 10. qvos penetravit Heb. 4, 14. excelſior illis factus, cap. 7, 26. ac omnia repleverit, Eph. 4, 10. qvi qvanqvam naturaliter & localiter nobiſcum non ſit, perſonalem tamen pręſentiam nobis nullo modo ſubduxit, ſed potius, ſublatâ locali & terrenâ converſatione, qvæ infirmitatis erat, & qvâ pauci qvidem ſimul & ſemel frui poterant, nunc ex æqvo omnibus non tantum præſens eſt, ſed præſens replet, regnat, gubernat, & omnia in omnibus operatur; qvæ omnia & ſingula de nullo hominum affirmari, imo nulli hominum vel Angelorum unqvam contingere poſſunt, Heb. 1, 13. Sed hæc ſententia utut communiſſima ſit, & de adſcenſione Chriſti ſolidiſſima, non videtur tamen Chriſtus ad illam hoc loco reſpexiſſe, qvod patebit ex ſeqventibus.

CIII. Hinc ergo qvidam, ſervantes proprietatem verbi ἀνα-

βέβηκεν

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

βέβηκεν, vel ineptiſſimè & imperitiſſimè, prȩter & contra ſcripturam, explicant hanc aſcenſionem, ſive de locali aliqvo aſcenſu & raptu Chriſti, poſt nativitatem & ante Euangelij annunciationem, in cœlum, ut ibi diſceret ab ipſo Deo ea qvæ humano generi patefaciunda per ipſum erant; ſive de divina naturâ, qvâ res omnes cœleſtes atq; divinas contemplabatur; ſive de anima Chriſti, qvam volunt Pontificii à primo conceptionis momento repletam fuiſſe ſcientiâ & gratiâ, ita ut nihil poſtea didicerit, qvod ante neſciret. Qvæ aſſertio qvanqvam vera ſit de animâ Chriſti conſideratâ ratione prærogativarum, qvas intimâ illâ in λόγον aſſumptione obtinuit, de eâdem tamen conſiderata ratione proprietatum & infirmitatum, qvas tanqvam verus homo in ſtatu κενώσεως nobiſcum habuit communes, non ſtat firmo talo, id qvod monſtrant dicta, Eſ.7,15. Luc.2,52. Marc.13,32. Matt. 24,36. Rom.8,3. Gal.3,13. Heb. 4,15. vel omnium convenientiſſimè heic intelligunt iſtam adſcenſionem, qvæ facta eſt per unionem hypotaſticam, qvâ natura humana Chriſti in cœlum ſeu Deum ipſum & ejus regnum ac gloriam ita evecta, ut non ſint jam duo Chriſti, ſed unus Chriſtus, Deus & homo ſubſiſtens unicè in Deitate, humanâ ſcilicet naturâ aſſumptâ intra ipſam τȣ̃ λόγȣ ὑπόστασιν; per qvam ſubſiſtentiam Chriſtus homo, in ſumma etiam exinanitione, ſummâ Majeſtate fuit prædītus omniumq́; rerum ſcientiam actu primo habuit, qvam & ſubinde, licet non ſemper, actu ſecundo manifeſtavit & exeruit Joh.2,11. 24. 25. Marc.2,8. Luc 5,22.23. Juxta Prophetiam, Eſ.1,1.2. ſeq. Et ſecundum hanc aſcenſionem, competentem toti perſonæ per propriorum communicationem realiſſimam, cognitiſſima fuerunt Chriſto myſteria Relligionis Chriſtianæ, Matt.11,17. Johan.3,11. utut in ſe adeo abſtruſa, ut nec ſenſibus nec ratione inveſtigari poſſint 1. Cor. 2, 7. 8. Et propterea qvæ de divinis myſteriis dixit docuitq́; Chriſtus, qvanqvā rationi prorſus adverſabantur & captum humanum pariter & Angelicum longiſſimè excedebant, ea tamen nec poterant, nec debebant à qvoqvam negari aut in dubium temerè vocari.

CIV. Sed & hac unione natura humana Chriſti in cœlum ſeu regnum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

regnum Dei evecta aſcendit, & rurſus recuperavit hæreditatem & poſſeſſionem regni cœlorum deperditam per lapſum, ut nobis, qvi ipſius, ceu Filii hominis, fratres ſumus, viam ad cœlum aperiret & dedicaret, Heb. 10, 20. Id qvod poſtea viſibili adſcenſione declaratum fuit.

CV. Secundam Propoſitionem qvod concernit: Filius hominis deſcendit de cœlo, illam non accipimus, reclamante Scripturâ cum Arrianis, de locali digreſſione Verbi omnē locum tranſcendentis in immenſum & exiſtentis ἀκινήτως è cœlo & à Patre ſeparatione omni modo impoſſibili: ſive, cum Samoſatenianis de deſcenſu Dei in hominem Chriſtum, qvaſi in eo inhabitantis modo, aliter ſolus Deus, aliter ſolus homo fuerit; qvū in Chriſto uno non ſit alius & alius, ſed aliud & aliud, ſecus qvam in Deo triuno: ſive cum Valentinianis, de corporis ſyderei de cœlo deportatione, qvem errorem refellunt dicta, Gen. 3, 15. Pſ. 132, 11. Luc. 1, 36. Gal. 4, 4: ſive cum Photinianis, vel qvaſi aliud nihil deſcenſus heic notaret, qvàm Chriſtum non veniſſe in ſuo, ſed in Patris nomine; qvum etiam Pater dicatur deſcendiſſe de cœlo, Gen. 11, 7. 2. Sam. 2, 2. qvi non poteſt dici veniſſe alterius nomine; & Apoſtoli ac Prophetæ, qvi venerunt non ſuo ſed Chriſti nomine nuſpiam dicantur in ſcriptura è cœlo deſcendiſſe: vel qvaſi idem ſit deſcendere de cœlo atq; à Deo ipſo proficiſci, qvum omnia alia bona ſive ſint in numero Subſtantiarum, ſive Accidentium proficiſcantur ab Authore Deo, Jacob. 1, 17. & Spiritus S. tamen de illis nullibi enunciet qvod deſcendant de cœlo: vel etiam pro locali reditu è cœlo tanqvam propriè dicto loco, qvalis demum reditus Chriſti erit in extremo judicio Act. 1, 11. 1. Theſſ. 4, 16. præterqvam qvod cœlum hoc loco non ſumatur pro loco aliqvo proprio: ſed iſtam Propoſitionem, cum Scriptura, intelligimus de profundiſſima Chriſti exinanitione & humiliatione, ita ut omne qvod in Chriſto humile fuit, ſub hujus deſcenſus circulo comprehendatur.

CVI. Qvum autem hæc exinanitio & humiliatio facta ſit non in Deitate Chriſti, qvæ eſt immutabilis, ſed in Carne ipſius, ideò inſeparabiliter includit etiam iſte deſcenſus adeoq; verè

præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

præreqvirit ipſam τᾶ λόγȣ ad vilitatem carnis noſtræ inclinationem, conceptionem ipſius in utero Matris Mariæ ac nativitatem, ipſamq; carnis noſtræ aſſumptionem. Si enim ille carnem non aſſumpſiſſet, qvomodo ſe in aſſumptâ carne exinaniiſſet & humiliaſſet, ac ſic ſe inaniendo & humiliando deſcendiſſet.

CVII, Duo igitur conjunctim deſcenſu ſuo de cœlo Chriſtus complectitur, aſſumptionem ſcil. humanæ naturæ in unitatem perſonæ, & profundiſſimam in ea exinanitionem, qvam vilitate corporis & humanæ ſpeciei, qvæ miſera & ærumnoſa, exprimit, perinde atq; apud Prophetam ſervus ille Dei dicitur noviſſimus virorum & vir doloris, Eſ.43, v.3. Qvum enim Chriſtus etiam in humanâ naturâ cœleſti Majeſtate ſublimem ſeſe in hoc mundo continuò exhibere potuiſſet, utpote cujus naturæ reſpectu ſanctus erat, Luc.1,35. plenus gratiâ & veritate, Joh.1,14,16. Sanctus, innocens, impolutus, ſegregatus à Peccatoribus, Heb.3,17. benedictũ ſemen, Gen.12,3. Gal.3, 8. ſponte tamen humilem ſpeciem hominis induit, Pſ.2, 6. 7. 8. manifeſtatus in ſimilitudine carnis peccati, Rom.8,3. ac tentatus per omnia, Heb.4,15. factus vermis & non homo opprobriumq; hominum, Pſ.22,7. ac tandem pro nobis execratio, Galat.3,13. Et per hanc humanam naturam ac ſecundum eam deſcendere dicitur Chriſtus, indutus ſcil. amiculo viliori, qvàm pro ſua dignitate, ut loqvitur Athanaſius, divinâ naturâ ſemper manente immutabili.

CIIX. Sed & notandæ ſunt diverſæ Propoſitiones: λόγος deſcendit, id eſt, incarnatus eſt, qvæ perſonalis eſt æqvipollens huic: Verbum Caro factum eſt. Et Filius hominis ſeu J.C. deſcendit, id eſt, ſe exinanivit & humiliavit, qvod eſt Axioma primi generis communicationis Idiomatum, qvo ſcil. humanæ naturæ, deſcenſus humilitatis, tribuitur Perſonæ in Concreto.

CIX. Ex amore autem ſuo ardentiſſimo erga genus humanum, & neqvaqvam ex noſtro merito, qvod heic nullum fuit, Rom.5,11. Epheſ.2,1. Filius Dei deſcendit, tum per incarnationem manifeſtatus, ut nos doceret Myſteria regni cœlorum, tum incarnatus per exinanitionem & humiliationem, ut nos à de-

ſcenſu infernali liberaret. Unde Bernhardus tres gradus hujus deſcenſus conſtituit. Primum qvidem à ſummo cœlo uſq; ad carnem, ſecundum ad crucem, tertium ad mortem & ſepulchrum.

CX. Et hac ratione deſcenſus Filii hominis de cœlo eſt ipſiſſima Filij Dei, deponentis gloriam, qvam apud Patrem habuit, anteqvam mundus eſſet, Joh.17,5. incarnatio & exinanitio, qvâ æternus Patris filius in cœlo manens, in terrâ humanam naturam aſſumpſit in unitatem perſonæ ſuæ, atq; in ea inviſibilis, factus eſt viſibilis, Deus ſc. manifeſtatus in carne, 1.Tim.3,16. 1.Joh. 4,2. Inq; ea ſeipſum exinanivit & ignominioſiſſimam mortem crucis perpeſſus eſt, idq; unicè propter nos & noſtram ſalutem.

CXI. Alii deſcenſum hunc Chriſti de cœlo explicant, non inconvenienter, de ſupernaturali, cœleſti & ſpirituali conceptione & nativitate Chriſti, vitâq; ejus innocentiſſimâ juxta illa qvæ ſunt, 1.Cor.15,48 cui tamen expoſitioni prior, tanqvam ſolidior, præferenda videtur, propter oppoſitionem qvæ heic eſt inter aſcendere, & deſcendere, de qvâ etiam conſuli poteſt locus, Epheſ. 4,10.

CXII. Tertia Propoſitio eſt hæc: Filius hominis [loqvens jam in terrâ cum Nicodemo] eſt in cœlo, qvæ ſimiliter intelligenda, non de divinâ naturâ, ſed totâ Perſonâ. Hac enim Chriſtus myſterium illud explicat; qvod licet humana Chriſti natura naturaliter & localiter eo tempore tantummodo in terris cum Nicodemo fuerit, uno loco veriſſimè circumſcripta, λόγος tamen nunqvam fuerit ſive in cœlo, ſive in terrâ, ubi non eandem illam humanitatem ſibi in Perſonæ ſuæ unitate, extra & ſupra omnem locum, ineffabiliter unitam & perſonaliter præſentem habuerit, qvandoqvidem totus Chriſtus incarnatus & Filius hominis factus eſt. Qvâ ratione Filius Dei humanitatem tunc temporis ſibi non habuit præſentiorem in terrâ, qvam in ſupremo cœlo, qvum unio & præſentia illa nō ſit localis, qvæ loco vel locorum intervallis definiatur, aut etiam dirimatur, ſed perſonalis.

CXIII. Et hac unione Perſonali humana natura non efficitur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

tur infinita, ſed, ratione ſuæ eſſentiæ finita manens, evehitur in Perſonam τοῦ λόγου infinitam, in cujus unitatem verè eſt aſſumpta, qvam infinitam Perſonam à finitâ naturâ humanâ locis aut locorum diſtantiis ſeparari impoſſibile eſt. Unde etiam non λόγος natus & ab humanâ naturâ ſeparatus ſeu ἄσαρκος, ſed λόγος incarnatus ἔνσαρκος atq; ita Filius hominis factus, in cœlo eſt perſonaliter, cum in terrâ ſtat naturaliter; neutrâ interim præſentiâ impediente aut tollente alteram, qvum naturalis præſentia proveniat naturæ humanæ Chriſti ex proprietate eſſentiæ, qvæ qvum finita ſit & maneat loco uno tantum in ſtatu Exinanitionis, eo ſanè reſpectu fuit circumſcripta: Perſonalis verò carnis Chriſti præſentia proveniat ex unione Perſonali, qvatenus ſcil. Chriſti humanitas in unitatem infinitæ perſonæ Filii Dei, ſupra & extra omnes creaturas, exaltata & aſſumpta eſt.

CXIV. Perinde autem ut hic Articulus de unione Perſonali confirmat nobis qvod λόγος etiam in ſtatu Exinanitionis ubicunq; fuerit, fuerit incarnatus, id eſt, humanam naturam ſibi inſeparabiliter unitam habuerit: ita Articulus de aſcenſione Chriſti viſibili, &, poſt aſcenſionem, de ſeſſione ad dexteram Patris, confirmat, qvod λόγος non tantum carnem ſuam ſibi ubiqve præſentem habeat, ſed qvod per eandem nunc in ſtatu Exaltationis plenariâ uſurpatione potenter & preſenter omnia & in cœlo & in terrâ adminiſtret; qvam majeſtatem omnipræſenter gubernandi omnia Apoſtolus, Eph. 4, 10. vocat omnia implere.

CXV. Sunt qvi locum hunc tantum ad mores trahunt hunc in modum: qvi aſcendere vult in cœlum, exemplo Chriſti prius deſcendat, ſuamq; profiteatur indignitatem, & deinde in Eccleſiâ, qvæ regnum cœlorum in plerisq; Parabolis dicitur, permaneat, à qvâ qvi ſe ſegregant, ad cœlos adſcendere neqveunt; qvæ qvanqvam pia ſunt, huic tamen loco minus ſatisfaciunt, id qvod ex modo dictis nemini obſcurum eſſe poteſt.

CXVI. Poſtqvam verò Chriſtus neceſſitatem Regenerationis & doctrinæ ſuæ certitudinem ex conſideratione Perſonæ ſuę probaverat, pergit fidem facere eidem aſſertioni ex officio ſuo,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

ac meritis, qvibus nobis jus cœli acqviſivit, cum modo unà & medio, qvo participes illorum & hujus reddimur in talia ſolutus verba:

v. 14. 15. Καὶ καθὼς Μωσῆς ὕψωσε τὸν ὄφιν ἐν τῇ ἐρήμῳ, οὕτως ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν μὴ ἀπόληται, ἀλλ' ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον.

CXVII. Horum verborum cohærentiam cum præcedentibus Chryſoſtomus & Theophylactus in cognatione & ſimilitudine inter Baptiſmum & paſſionem Chriſti, qvæ elucet etiam ex Rom. 6, 3. 1. Cor. 1, 13. ſtatuunt; qvaſi Chriſtus, qvi diſſeruiſſet ante de Baptiſmo, jam de paſſione ſua incipiat diſſerere. Cyrillus verò illa verba ad conditionẽ Nicodemi refert, qvi qvum res cœleſtes capere non poſſet, ad figuras V. T. adducendus fuit, perinde ut aliàs ad ſcripturam tales ablegare ſolet Chriſtus, Joh. 5, 39. Alii putant Chriſtum illis rationem reddere ſui deſcenſus de cœlo, accipientes Particulam καὶ cauſſaliter, hoc ſenſu: Filius hominis, qvi eſt in cœlo, deſcendit de cœlo, qvia oportebat eum exaltari, ſicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto. Verum commodius & ſcopo convenientius illa facere videntur ad neceſſitatis Regenerationis & Fidei in Chriſtum declarationem. Regeneratio enim & vita æterna pendent ex merito & efficacia Chriſti, qvod & qvam per fidem ſalvificam, qvilibet qvi vitam æternam ingredi vult, ſibi debet applicare.

CXVIII. Hoc autem proponit per Typum deſumptum ex Num. 21, 9. de æneo ſerpente exaltato, divino mandato à Moſe, in Deſerto, qvam icti ab ignitis ſerpentibus, immiſſis populo Iſraelitico divinitus propter ingratitudinem adverſus Deum, & imprimis faſtidium Mannæ, aſpicientes, vitam non finiebant miſerrimè, ſed ſanabantur, ſine ullo meritorum & perſonarum reſpectu, accipientes oblatam ſanitatem, non qvidem ex potentiâ naturæ ipſius ænei ſerpentis, ſecundum qvam nihil aliud qvam æs erat, judice etiam Rege Ezechia 2. Reg. 18, 4. verum ex divinâ ordinatione & inſtitutione, cui nihil impoſſibile, qva dictum erat: qvi percuſſus aſpexerit eum, vivet: qvem transfert ad Antitypum, ſc. Filium hominis; qvo Typo uſus eſt præ cœteris, utpote qvi inter figuras omnes V. T. maximè appoſitus ipſi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

viſus fuit ad explicandam & illuſtrandam hanc doctrinam. Sicut enim Judæi in deſerto morſi à ſerpentibus ignitis per aſpectum ſerpentis æneí ſanabantur: ita humanum genus, à primo homine ſeu Adamo, veneno ſauciatum & infectum ac in peccata prolapſum, per ſecundum hominem, ſeu Adamum, à peccato liberati ſunt, Rom 5,12.15. Et ſicut ſerpens ille æneus igne conflatus, & naturali non genitus lege, colorem & ſimilitudinem ſerpentum ignitorum & venenatorum referebat, ipſe interim venenum non habens: ita CHRISTUS conceptus è Spiritu ſancto, igne illo cœleſti, & natus ex Mariâ virgine præter & ſupra naturam, factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati, Roman. 8, 3. ſed peccato, cum cœteris hominibus, neutiqvam obnoxius. Et tandem ſicut ſerpens ille ſuſpenſus & in ligno exaltatus fuit, ac nudus aſpectus ejus ſanabat morbum corporis & liberabat à morte temporali: ita Chriſtus peccata noſtra in corpore ſuo portabat ſuper lignum, 1. Pet. 2, 24. liberans nos à morbo animæ & morte æternâ, cujus ſolius aſpectus, qvi fidei eſt, oculi ſcilicet illius ſpiritualis, ſanat omnes peccatores, ſi modò, poſt ſeriam Pœnitentiam, perſeverant in fide & non negligunt aut contemnunt tantam oblatam gratiam.

CXIX. Sed heic notandum Exaltationem de Chriſto in Scriptura tribus modis uſurpari: Primò pro paſſione, crucifixione, & morte Chriſti, qvâ in ligno ſuſpenſus peccatum & maledictum pro nobis factus eſt, Gal.3,13. qvo ſenſu occurrit vox illa, Joh 8,28. & 12,32. Secundò vocatur in Scriptura Exaltatio Chriſti, qvod victor peccati & mortis acqviſitâ juſtitiâ & vitâ ad dextram Patris exaltatus eſt, Act. 2, 33. Phil. 2, 9. ut vultui Dei appareat pro nobis, Heb.9,24. Utq; per vitam ejus ſervemur, Rom. 5, 19. qvo etiam referendus locus, Rom. 4, 25. Tertiò referri poteſt illud vocabulum ad locum, Eſ.11,10. qvod ſcil. meritum Chriſti, per miniſterium Euangelii tanqvam erecto vexillo, omnibus proponatur, perinde ut ſerpens æneus in ligno erectus omnium oculis proponebatur in Deſerto; qvod miniſterium Verbi & Sacramentorum efficax eſt, non virtute ſuæ naturæ, ſed ex divinâ ordinatione & inſtitutione.

CXX. Adhæc Particula OMNIS haud obſcurè monſtrat, qvàm

latè

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

latè pateat meritum Chriſti. Non enim ſolum hi qvi agunt vitam in terris poſt natum & revelatum CHRISTUM, ſed etiam illi qvi vixerunt ante natum Chriſtum, fruuntur beneficiis Chriſti, exaltati qvaſi in medio totius generis humani, & ita exiſtentis unicum remedium adverſus antiqvi ſerpentis venena, 1. Cor. 2, 2. ut omnes, ſive ante ipſum, ſive poſt ipſum, veram haberent ſalutem, qvi reſpicerent eum vivâ fide, Conf. loc. Joh. 8, 56. Heb. 11. Neq; ad ſolos Iſraelitas circumciſos, & honeſtos in ſeculo homines, ſed etiam ad omnes alias gentes incircumciſas, & ad omnes alios homines, qvantumcunq; coram mundo inhoneſtos, pertinent beneficia Chriſti, juxta dictum Galat. 3, 28. Et exemplum Latronis prætereā.

CXXI. Qvanqvam autem Chriſtus proponat ſe omnibus fruendum, & gratiæ Dei ſit datum eſſe remedium promptum & paratum ac ad ſalutem efficaciſſimum; eo tamen non fruuntur, hujusve participes fiunt omnes, ſed hi ſolum, qvi illum aſpiciunt & hanc acceptant non qvidem operibus, ſed ſolâ fide, qvæ non eſt meritum, cum nemo tantum credat, qvantum debeat, Marc. 9, 24. ſed organon, ſeu cauſſa inſtrumentalis, applicationis meritorum Chriſti: Fides enim eſt mentis ille conſpectus fidelis, qvo Chriſtum intuemur, & manus illa à parte noſtri, qvâ ejus meritum cum oblatâ gratiâ apprehendimus.

CXXII. Ex eo verò qvod omnis qvi credit in eum, qvatenus credit habeat vitam æternam, in negotio Juſtificationis rectè concludimus, nos ſolâ fide juſtificari (ſive per fidem, impropriè ſimul intelligentes ejus Correlatum, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum fide apprehenſum, in cujus fideli apprehenſione forma Juſtificationis conſiſtit; ſive eam accipientes propriè pro cauſſa inſtrumentali applicationis meritorum Chriſti, particula ſola nō Subjectum, qvaſi fides debeat eſſe mortua & infructuoſa, ſed Prædicatum, ita ut indicetur, qvod licet fides proferat bona opera, tanqvam fructus ex qvibus homines de fide judicare poſſunt: ea tamen non pertineant ad cauſſam ullam Juſtificationis, ac perinde nec ad inſtrumentalem) qvum omnis qvi habet vitam æternam ſit juſtificatus; qvicqvid tandem videatur Maldonato de ſuâ charitate & operibus, qvæ qvanqvam ſuum

ha-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

habeant uſum, ſuaq; merita, ut propterea homini Chriſtiano omnino ſectanda ſint, non tamen ſunt merita propter qvæ datur Chriſtus, nec organa per qvæ accipitur Chriſtus cum ſuo merito ad juſtitiam.

CXXIII. Nec enim ſunt æqvipollentes hæ Propoſitiones: omnis qvi credit, qvatenus credit, habet vitam æternam, &, omnis, qvi charitatem habet ſalvatur, vel omnis;qvi habet bona opera non peribit, ut exiſtimat Maldonatus; qvum in illa Subjectũ cum reduplicatione ponatur,ut propterea æqvipolleat Excluſivæ, huic ſcil. ſola fide accipitur vita æterna; in his verò non item: Unde plus infertur in concluſione, qvam fuit in præmiſſis, ſi qvis ex hiſce hunc in modum ſubſumeret: Ergo ſolâ charitate,vel ſolis bonis operibus juſtificamur.

CXXIV. Fides igitur de qva heic Chriſto ſermo eſt, conſtans notitiâ verâ Chriſti, aſſenſu,& firmâ finaliq; fiducia in eundem, ſecundum promiſſionem Euangelii, habet promiſſionem vitæ æternæ, non ex ſuo merito, ſed ex merito Chriſti, qvem totũ apprehendit,& ſuum qvaſi facit; & qvum credenti promittitur illa vita æterna, concurrunt ſimul Remiſſio peccatorum, oblata ex merito mortis Chriſti, 1.Joh.1,7. Juſtitia, non qvidem Legis, ſed Fidei, qvam ſuâ obedientiâ perfectiſſimâ nobis acqviſivit Chriſtus,Rom.5, 19. & 10, 9. de qva etiam pluribus diſſerit Apoſtolus Rom.3.& 4. Gal.2.3.4. Eph.2. Philip. 3. Ac tandem Regeneratio, Joh. 1, 12. ut ita cum tali fide remiſſionis peccatorum conjuncta ſit gratia ſeu Juſtificatio gratuita, qvâ tali homini imputatur Juſtitia Chriſti, qvæ perfectiſſima legis impletio eſt, & donum ſeu donatio Spiritus ſancti, qvo regeneratur ut in novitate vitæ ambulet.

CXXV. Et hæc Chriſti beneficia, utut perpetuo conjuncta ſint,ita ut à ſe invicem divelli non poſſint,accuratè tamen ſunt diſtingvenda, ut mediatoris beneficium à noſtro officio & debito obſeqvio rectè & clarè diſcernatur.

CXXVI. Qvi tali fide accipiunt Chriſtum illi non debent polliceri ſibi immunitatem ab afflictionibus; non enim dicit Chriſtus, qvi credit in eum non affligatur, ſed inqvit non pereat. Chriſtus namq; ſic ſervat ſuos, ut affligantur qvidem in

hoc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

hoc ſeculo, & corporali morte obruantur, ac etiam dolores inferni ſentiant, Joh. 17,15. ſed conſervantur tamen in his omnibus malis & periculis, ne pereant, ſed tandem victoriam per ipſum obtineant, vitamq́; habeant æternam; qvam etiam det nobis DEUS ex gratiâ ſuâ, per JESUM CHRISTUM DOMINUM noſtrum, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit gloria, laus & honor, in ſecula ſeculorum,

AMEN.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1345